



Confer: Morhof in Polyhistore Tom: 1. Lib: 4. Cap: 5: num: 6. & König in Biblioth: pag: 169.

30 x
Cleynaerts

NIC. CLENARDI EPISTOLARVM

LIBRI DVO.

QVORVM *posterior iam primùm in lucem prodit.*



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
cIↃ. IↃ. LXVI.
CVM PRIVILEGIO.

C. PLANTINVS LECTORI BENEVOLO S.

CVM nuper Carolus Clusius vir doctus & ad rem literariam promouendã promptissimus, ex Hispanijs rediens, ad me pro antiqua nostra familiaritate salutandi gratia diuertisset, ille, vt est ingenij sui candor, quæ illinc secum rara exportarat, nobis ostendit. Inter quæ cùm essent Nic. Clenardi viri doctissimi epistolæ quamplurimæ nunquam editæ, lepidæ iuxtà & eruditæ; rogaui, earum mihi faceret copiam, vt, vbi primùm liceret, me auspice omnium in oculis, vti dignæ erant, apparerent. Fecit ille pro suo more, & nostra necessitudine lubentissimè. Quia autem intelligebam ipsum Clenardum, quoad vixit, D. Iacobo Latomo Theologo doctiss. vnicè carum semper fuisse, vt etiam epistolæ testificãtur, conatus sum rescire, num idem aut alius quispiam propositum hoc nostrum adiuuare posset. Adiuuit verò ille, non quidem accessione aliqua, sed opportuno cõsilio, admonens, vt alterũ eiusdem Clenardi epistolarum librum, semel atque iterum euulgatum, præponeremus: præsertim cùm iamdiu exemplaria passim desiderarentur. Quod consiliũ quanti fecerimus, facilè tu amice lector, cuius causa omnia cupimus & facimus, ex operis titulo intelliges. Vale. Antuerpiæ, ex officina nostra typographica, Kal. Martij. Anno cIↃ. IↃ. LXVI.

NICOLAI CLENARDI EPISTOLARVM LIB. I.

NICOLAVS CLENARDVS DOMINO IACOBO LATOMO PRAECEPTORI OBSERVANDO, S. D.

NON dubito, charissime præceptor, quin sæpius discipulum accusaueris, quòd toto quadriennio vix binas literas miserit. Si factum id putas obliuione tui, audacter ipse vicissim iudicium tuum damnabo, qui lõginquitate loci amicitiam dirimi putaueris. Cur ergo alios, inquies, crebrò salutasti, me vix vnquam? Cur etiam anno superiore, cùm fratrem germanum dimitteres, Latomi tui non meministi? Hic enim iam omnem præcidit causationẽ, de inopia vel perfidia tabellariorum. Accipe ergo excusationem non peccati, sed silentij. Cùm primùm veni Salmanticam, & futurum videbam, vt ibi aliquandiu subsisterem, nihil magis erat in votis, quàm vt te pręcipuè de rebus meis certiorem facerem. Verùm homo, vt scis ipse, domesticis parietibus magis delectatus, quàm luce publica, nullam prorsus reperiebam nunciorum commoditatem. Aberat aula Cæsaris Methymnæ, vnde propter veredarios spes aliqua nobis affulserat, in ipsa verò Academia fermè solus eram è nostratibus, & quotquot amicos nactus eram, Hispani erant, nec desiderio meo conducebant. Quid igitur facerem stupidissimus homuncio, quî tanquam plumbeus semper vixerim in huiusmodi humanis negotijs, scilicet expectabam dum felix aliquis incideret casus, quando consilio viam inuenire non poteram. Et ecce subitò Minorita quidam me nihil tale suspicãtem, vltrò adijt, iubetque literas expediam: se enim intra biduum abiturum in Flandriam. At vide quàm sinistrè fuerim vsus tâm bona occasione: dum studio plurimis

ſedulus ſatisfacere, viles modò ſchedas effudi, quòd tam multis amicis iuſtis literis ſalutandis, ne octo quidem dies ſatis fuerant. Retaliaſti tu feſtiuiter ſanè, & per eundem tabellarium chartulam remiſiſti, abiectam alioqui niſi fuiſſet tua, & honore ac titulo præceptoris cõmendaretur. Agnoſcebam protinus culpam meam, & exprobratam ridebam contractiorem epiſtolam. Diſtuli tamẽ placare offenſum fortè animum tuum, quòd iam tum cœperant res meæ vtcunque nutare, & modò videbar ſedem ſtabilem habiturus Salmanticæ, propter linguarum trium profeſsionem: nũc contrà de adeunda quidam ſomniarant Italia, quò propediem abiturus erat diſcipulus meus, filius Proregis Neapolitani, & animus erat tibi omnem vitæ meæ fabulam conſcribere. Dum ſic ſuſpenſus aliquandiu ceſſaſſem, & iam parum de tabellariis cogitarem, menſes aliquot labuntur, depoſito penitus ſcribendi animo, donec certiùs quippiam de ſtatu meo contingeret. Quid ergo tandem factum eſt? Amicorum precibus dedi, vt profeſsionem publico ſalario ſuſciperem, cùm longè alia mecum agitarem. Vix duodecim credo abierant dies, cùm ecce mihi adeſt legatus è Luſitania, propoſita conditione Regis, & ocio copioſiſsimo. Quod ego vlnis obuiis arripui, mirante vniuerſa Salmantica, quæ tamen abeuntem honeſto proſecuta eſt viatico. Hîc rurſum excluditur propoſitum meum, & profectio Luſitanica literas iſthuc proficiſci vetuit: nimirum vt ſimul atque huc veniſſem, omnia ad plenum tibi per ocium ſcriberem. Vbi Eboram perueni, dedi aliquid literarum ad amicos, ſed in præſens non memini, niſi quòd deinde laborauerim eadem inopia tabellionum: & ſi quid ſcripſi, in caſum potiùs miſi, quàm ſpe certa futurum vt literæ redderentur. Sed hæc omnia, inquies, penſare poterat tuus frater. Audi quæſo & hanc infelicitatem. Putabam hominem hîc permanſurum, nam ex meorum literis ſuſpicabar ea gratia miſſum à parentibus, vt apud mercatorem quempiam negotiorum rationem perſpiceret, ef-

feci

feci hîc facilè, vt meus hoſpes D. Iohannes Paruus, fratrem commendaret Carolo Correo mercatori Gallo, qui agit Vlyſsipone. Verùm ego imprudens, confectis epiſtolis, diſco fratri in totum diſplicere Luſitaniam, de quo certè non magnopere dolui, tum propter adoleſcentem ipſum, quem videbam in perditiſsima iuuenum colluuione verſaturum: adeò perditè viuit iuuentus Hiſpanica, aut vt veriùs dicã noſtras iuuentus, poſtquam huc ſeſe contulerit, tanta eſt flagitioſæ vitæ licentia, maximè Vlyſsipone, vbi fratri viuendum fuerat: tum ergo ipſius nomine, tum mei quoque gratia ſic ſatis gaudebam, qui turbam alioqui metuere debebam, & aliquantiſper deuorare moleſtias fraternas. Ad hunc modum ſpe retinendi hominis præciſa, conſilium fuit, vt tametſi redire ſtatuiſſet, potiùs tamen interim dum aliqua ſolueret nauis, inter mercatores viueret, & vel obiter quid diſceret, quàm hîc in ocio & tędio ſine fructu hæreret. Vnus credo exactus iam erat dies, cùm audimus appulſas naues, & quaſdam adornare abitum. Ibi verò nihil prius fuit, quàm vt quamprimùm frater diſcederet Vlyſsiponem, & raptim vnam atque alteram epiſtolam conſcripſi ad parentes, & ad patruum: nimirum per ocium omnes amicos ſalutaturus, & faſciculum grandem miſſurus ad fratrem: neque enim credebamus tam citò illum abiturum in patriam. Verùm vt vbique ſim à literis mittendis excluſiſsimus, ſimulatq; ingreſſus eſt ille ædes Caroli Correi, nunciatur nauta Zelandus abiturus. Pernoctauit itaque Vlyſsipone, & poſtridie profectus eſt. Habes moleſtas rationes taciturnitatis meæ: verùm condonabis, & quando verboſas tantùm nos ſcribimus literas, nõ ſententioſas, è multitudine & inepta verborum congerie, ſaltem epiſtolæ ſcribendæ voluntatem colliges. Pergamus igitur in fabula, & ineptiamus ad ſaturitatem, apud humaniſsimũ præſertim virum, quique vt coram me nugantem non ſolebat reijcere, ita etiam per epiſtolam cõfabulantem æquis accipiet auribus. Facit, facit optime præceptor,

perſpecta mihi tua facilitas, vt abutar patientia tua,& alioqui tam longũ ſilentiũ loquaci aliquo calamo penſandum erat. Suggerit etiam libertatem atque adeo libidinem garriendi,tam profunda ſtudiorum meorum tranquillitas,vt res, inquit Comicus, ſeſe dant, ita magni atque humiles ſumus. Cùm olim me videres miſerè contabeſcere, quòd iudici N. adulandum eſſet, & procuratores ambiendi, profectò non potuiſſem ſic inſoleſcere, & tam delicatè cum chartis ludere. Nunc nos Deus reſpexit, & eam traducendæ vitæ commoditatem largitus eſt,vt ocio planè abundem.Quid faciam niſi vt cum chariſsimo mihi Latomo pauliſper animum recreem? Gaudeo mi præceptor, rogo fer me. Vtinam aliquando me Dominus tibi reſtituat,vtinam ſaltem ſedem tecum morituriens habere poſsim, & præſentis ocij fructum apud præceptorem meum deponere. Eſt ſanè hæc mihi vita tam commoda, vt nunc demum me viuere credam, propterea quòd nihil tracto præter literas, ſed alia exilij bona, alia patriæ. Niſi quòd atrociora hîc quotidie nobis obnunciantur, quàm vt illic iam viuere libéret. A quibus omnibus tumultibus adeo hîc ſumus alieni, vt faciliùs Chriſtiani quidam futuri ſint, quàm hæretici. Eia nimium iſtud mordax eſt Clenarde: Semper mortificat veritas,ſemper tamen ſunt qui non metuant verum dicere:miſſam,ſi libet,faciamus hanc camarinam,tantùm indicare volui, quàm ſumus hîc tuti à factionibus,quæ indies magis ac magis iſthic increſcunt,adeo vt ſi nihil aliud, vel hoc certè nõ nimis diſplicere queat mihi hæc præſens peregrinatio, vt interim omittam bellicos iſtos rumores, quos neſcio quis hîc nuper ſparſerat, rurſum reges illos inter ſeſe committendos, vtriuſque ditionis luculenta clade: cùm hîc nobis in vtramque aurem ſecuros dormire liceat, quod ad hanc cauſam attinet: magis cum Indis & Afris bellum gerimus, qui & ſi quid molian tur quotannis, non tamen tam latè malum graſſatur, vt Luſitani ſentiant: tantùm in confinio præſidia quædam

ſubinde

ſubinde Mauri inceſſunt, & quod olim perdiderant, recuperare ſtudent: quos ego hoſtes ſic metuo, vt non ſemel in mentem venerit adeundam mihi tandem eſſe Africam. Audio enim in vrbe Feſſenſi mirè florere ſtudia Arabica, ad quæ dum Salmanticæ viuerem, magnũ animum adieceram, nec meus reſipuit animus: etſi iam fermè biennio ipſum ſtudium ferias habeat. Expecto libros quoſdam è Murcia, qui ſi (vt ſpero) veniẽt, rurſus in illud piſtrinum reuoluar; neque enim conquieſco priuſquam felicem illam Arabiam penetrauero. Eſt nobis hîc medicus eius linguæ callentiſsimus: homini moleſtus ſum futurus cùm iſtos, quos dixi, libros accepero. Non hinc diſtat ciuitas Feſſenſis niſi leucas circiter centum, & celeberrimum eſt emporiũ Africæ, quò crebrò noſtri mercatores commeant. Faxit Deus vt aliquando hanc tanquam appendicem & obiter profectionibus meis adijciam. Nam de Italia nec dum deſpero: ſcilicet vt per Germaniam, Germanus erro recurram Louanium: Ita enim per iocum diſcedens dicebam, & forſitan eueniet. Cras ſi dabitur locus, pergam tecum fabulari. Tu mi colende præceptor benè interim vale, & me vt facias, ama. Eboræ XXIIII. Martij. Anno M. D. XXXV.

CLENARDVS LATOMO SVO S.

PVTO te, mi præceptor, iam nuper audiſſe, quo pacto relicta Salmantica venerim in Luſitaniam, vocatus à Rege. Placebat ſanè celeberrima illa mihi Academia, nec paucos amicos mirè candidos, & doctos nactus fueram, quibus nihil æquè ſtudio fuit, quàm vt me ſi poſſent, penitus inaurarent: & vel hoc lenocinio perpetuo in gregem ſuorum, externum hominem cooptarent. Et omnino futurum videbam, ſi illic hæſiſſem diutius; adeo magnum apud plurimos fauorem emeritus hîc fuerat tuus ineptus diſcipulus, nulla re magis inſulſus, vt noſti, quàm ſi quid palpandũ eſt, & aſſentandum. Diuulſit tamen me ſubitò conditio regia, non

quòd rem hic nummariam pluris æstimem, quàm prouentum illum in Academia, quod lucrum illic forsitan futurum fuerat vberius: sed quòd mihi alieno semper à strepitu & solitudinis amico, commodior visa est præsens hæc vitæ ratio, & maiore cum ocio coniuncta. Illic in luce viuendum erat, & cum multis aut simulanda, aut ineunda quotidiana ista & vulgaris amicitia, quæ mutuis salutationibus constat: quæque vt semel aperto capite conciliatur, ita contra si secus obuiam minus obserues, in perpetuum dissoluitur. Stupidus autem ego, & natu iam grandior recudi non possum, & nō est admodum facilè tam insigniter fieri ciuilem, hominem præsertim Campiniensem, crassoque sub aëre natum. Erat & aliud quod receptum est in his regionibus, & inter Italos quoque obtinet, statim peracta lectione, professores tanquam oracula quædam passim à quouis adeuntur, & quicquid illud tandem fuerit, quòd Arcadico iuueni in mentem & buccam venerit, nisi clementer præceptor excipias, & tanquam de re seria cum homine verba facias, negligere videris dominum tuum. Et si posteà cathedra quæpiam vacauerit, vlciscetur miser in turba, quem solùm non timeas, fraudaberis multis suffragiis, nec quicquam insignis tibi profuerit eruditio. Vidistíne circulos istos Louanij ante tabernam librariam Iasparis, quam illic vocant Cancellariam nouorum? Quot sunt Salmanticæ professores, totidem cogites te videre discipulorum coronas, quarum in medio conficitur miser sæpe maiore molestia, quàm in ipsa docendi hora. Quin insuper gaudent etiam miseria sua plerique, quando illis tanquam certis signis ad futuri certaminis brauium præeunt. Multitudo enim vnde pendent calculi, istis facillimè ducitur. Et quamuis non desunt qui hoc ambitu non nitantur, maximè qui iam maximas cathedras obtinent, nec alias magis opimas suspirant, tamē ita inualuit ista consuetudo, vt omnes obnoxios habeat. Et alioqui lege quoque cautum est, vt quisq; Cathedraticus (sic vocant) à lectione pro

foribus

foribus ſeſe dubiis diſcipulorū offerat. Quare & meum docēdi munus, compedem eandem habebat comitem, niſi quòd cernerent mihi fabulam nō perinde gratam, & non aſſueuiſſe iſtiuſmodi moribus. Ita enim iam ante animi mei ſpecimen præbueram, priuſquam ſtipēdio auctoratus eſſem, & iuuentutis reſpectu prodiſſem in publicū: Verùm vt abhorrerem plurimùm, vt libertatis plurimum ipſe mihi in prouincia decreta ſumerē, & arrogarem; facilè tamē futurum videbam magis me expoſitum iri populo, quàm vel vmbratili homuncioni gratum eſſet, quàm etiam ſtudiis meis domeſticis conueniret. Suſcepi proinde quod vltrò mihi ne ſuſpicanti quidē obtulit Luſitania, ſemperq; hoc nomine gratias ago Deo meo, qui animum confirmauit, tota præſertim admirante Salmantica. Sum enim reductus in ocium & tranquillitatem, quam ne votis quidem optare fas erat. Adeo principem regis fratrem, ſtata quadam hora tertia aut ſecunda pomeridiana. Mox perfuncto officio, recipio me domū, nec quicquam habeo præterea quod agam in aula: labor ipſe qui me alit, multò minor eſt quàm ille centum Philippeorum: niſi quæ Philippeos dabat patria, ducatos Luſitania, eoſque duplices, & aliquanto plus. Quanquam non admodum rei pecuniariæ cauſa gloriari libet, vt quam nec dum immodicam aſſecutus ſum, nec adhuc admodum requiro, nihilque prius habeo, quàm vt præſentibus ſemper ſim benè cōtentus, quādo iam ablata ſunt quæ me in patria cruciare ſolebant. Quid? inquies, quingentos Rhenenſes tu tā parui ducis? Hanc enim ſummam conficiunt centum millia nummorum Luſitanica. Omittam in primis nullam eſſe regionem, vbi tanta ſit rerum omnium caritas: non dicā pluris eſſe Rhenenſem Louanij, quàm hîc ducatum aureum: eò demittam orationem, vnde propius ſcopum peregrinationis meæ colligas. Si vſquam neglectui habita fuit agricultura, id potiſsimum locum apud nos habet. Audis principio præcipuos populi neruos admodum debiles, deinde ſi qua gens ignauo

ocio dedita eſt,niſi ſit Luſitanica,nulla eſt prorſus. Loquor de nobis hîc potiſsimùm,qui vltra Tagum incolimus, & Africam propius olfacimus. Quòd niſi externorum & noſtratium turba, mechanicas iſtas artes hîc exerceret,puto ægrè vel calcearium, vel tonſorem haberemus. Sed commodùm mentionem tonſorum fecimus,hinc enim vel maximè res noſtras æſtimabis. Audi ergo non è tonſtrina de lippis fabulã,ſed quàm damnoſam mihi barbam fecerit Hiſpania: & quemadmodũ olim quidam è barba metiebantur philoſophos, ita è barba tu mea, ſapienter coniecturam facito, quàm onuſtus & beatus iſthuc recurram. Cùm eſſem Salmanticæ. Verùm præſtat, opinor, vt ante omnia rationem numiſmatis conſtituamus, deinde mittes in digitos,quot ego hîc emitto è loculis. Ducatus in Caſtella, valet vndecim regalia,hi nummi ſunt argentei:forſitan Budæus quatuor æſtimaret ſeſtertiis: nõ datur Salmanticæ minùs quàm ſemi regale,cùm ego quondam Petro Formoſo tonſori octonariũ præberem,qui tamen multò teneriùs & blandiùs caput mulceret, & multò leniùs duceret nouaculam, quæ mihi hîc ſubinde lacrymanti nonnunquam nimium ſonat,ſcilicet vt ſit muſica in luctu. Non miror plures eſſe barbatos in Hiſpania, quàm ſint in Flandria. Pergamus tamen & numeremus diſpendia barbæ. Ducatus Luſitanicus æſtimatur quatuor Teſtonibus: nummi ſunt iſti argentei,quales apud nos qui vocantur Dormitores, iſti Teſtones continent vigenos quinq; numulos paruulos, qui plus minus valeant ſtuferum duplicem noſtratem. Dicti ſunt autem quòd numulos æreos faciant viginti:hic ergo viceſima pars nummi vigeni,regale vocatur. Quo tamẽ nomine Caſtella vndecimam partem vocat ſui ducati. Diuidam adhuc, quia forſitan vſui erit ſi fabulari perſeuerauero. Regale Luſitanicum continet ſectilia ſex. Epilogum faciam, Ducatus, teſto, vigenus, regale, ſectile. Quid ergo tibi, ais, Luſitanica abſtulit nouacula? Hebdomadis ſingulis ſeſquiuigenum: hui nimium

mium eſt. Subducatur ergo ratio more noſtrate, & omiſsis minutiis leui brachio rem æquemus. Seſquiuigenum intelligo tres ſtuferos: protinus efficio quotannis ſex Philippeos, & vt magis rem exaggerem, ſeptem Rhenenſes & ſemis. Deinde me confero ad patruum meum quæſtorem Dieſtenſem, & imputo barbæ meæ quindecim florenos annuos: quem cenſum multorum non æquant patrimonia, & tamen ita fermè annum hîc vixi, nam minus ſi obtuleris, denuò non redibit, hoc eſt, vt propius adhuc hanc gentem cognoſcas, iterum etiam rogatus non veniet. Non eſt hîc tanta opificum copia: nec receptum vt merces ſuas offerant. Prece & precio fermè conſtant hîc omnia: & ita his moribus intincti ſumus, vt oblata omnia ſordeſcãt: nec carnes volumus, niſi quas poſt duas aut tres horas ſperantes in macello tanquam extorſimus. Verùm nondum audiſti cataſtrophen fabulæ tonſoriæ: ſi radi velis, præmitte miniſtrum, qui oret vt veniat. Quid tum poſtea? Tandem expectatus adeſt, non vt noſtras, onuſtus ipſe ſua pelui & aquario. Non enim decet, vt vir quiſpiam honeſtus aliquid manu geſtet. Tuus, tuus inquam miniſter neceſſe eſt vt peluim ferat cum aquario, & idem referat, alioqui manebis intonſus Apollo. Omnes enim hîc ſumus nobiles, & magni probri inſtar eſt, aliquam profiteri artem. An tu credis matremfamilias adire forum? emere piſciculos? parare holuſculum? Nihil habet quod vſui ſit, præter linguam, & quo tuetur nuptiarum titulũ. Etiam ſi quartam cenſus mei partem largiar, non aſſequar mulierculam quæ more noſtrate mihi curet familiam, aut rem domeſticã. Quomodo ergo, ais, iſthic viuitis? Mancipiorum plena ſunt omnia. Aethiopes & Mauri captiui, omnia obeunt munia, quo genere hominum tam eſt referta Luſitania, vt credam Vlyſsipone plures eſſe huiuſmodi ſeruos, & ſeruas, quàm ſint liberi Luſitani. Aegrè reperias domum, quæ non ſaltem ancillulam huius generis teneat, ea foris emit quocunque opus eſt, lauit veſtes,

verrit pauimentum, fert aquam, effert ſuo tempore fæces domeſticas & humanas, & breuiter ſeruam agit, & præter figuram nihil differt à brutis iumentis. Nam qui ditiores ſunt, plures etiam poſsident vtriuſque ſexus: quidam etiam non exiguum quæſtum faciunt è vernis natis, vt mihi tanquam columbas alere videantur, & adeo non offendi ancillæ concubitu, vt etiam admiſſariis equis gaudeant, & partus ventri cedat, non vicino ſacerdoti, aut neſcio cui Aethiopi & captiuo. Nam, vt hoc quoque obiter aſpergam, mihi per omnem Hiſpaniam verè πάνδημος eſſe Venus apparet, non minus quàm olim celebrabatur apud Thebanos, maximè tamen in Luſitania, vbi credo monſtrū eſſet κορίδος ſponſus. Quæ res me nuper aduentu fratris valde commouit: timebā enim ne lubrica ætas, ſi hîc inter ſuos equales verſaretur, multum mihi faceſſeret negotij: ſed benè mecum actum eſt, quòd adoleſcenti non placuit Luſitania: imò nullos prorſus eſſe arbitror, qui non hinc reuerti malint, ſi ſubitò, perſpectis regionis incommodis, redeundi daretur copia: tam diſsident in omnem partem viuendi mores à noſtratibus: ſed quotquot iſthinc huc veniunt, partim tædio patriæ, aut exuti patrimoniis, quouis potiùs rapiuntur, quàm reflectant ad ſuos, partim regreſſum non vident: itaque quod ſors dat arripiunt: alij illecebris iſtis illiciūtur, quarum magna eſt & libido, & licētia: alij ſenſim bona domeſtica didicerunt, & paulatim miſeriam, atque incommodam vitam ferre conſueſcunt. Id quod nobis accidit. Volo enim iam ordine per loca noſtræ peregrinationis pauliſper circumferre oculos, & probabili argumento tibi fidem facere, poſſe me vtcunque mores huius gentis tolerare. Relicto meo chariſsimo Latomo, ſenſi protinus abripi me à notis omnibus, ferri ad ignotiſsimos. Commorati ſumus biduum Lutetiæ, ſed inter amicos, tamen ſemper peregrinus mihi ſum viſus. Aquitaniam vidimus non ſine voluptate. O felicem illum tractum Galliæ, qui nos ad ſedem deduxit diui Martini: poteramus dicere cum

Petro:

Petro: Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, &c. Sed dux discipulorum subinde tristia praenunciabat, fore vt aliquando pocula quoque deessent, nedum Gallicae coenae. Haec autẽ abscondita erãt ab oculis eorum, intellexerunt autem postea. Statim enim vbi pridie diui Martini ingressi sumus Cantabriam, licuisset benè ieiunare, nisi hic panem, ille vinum, alius pisces, alius vuas passas conquisissent. Et verissimè dictũ sensi in Gallia, velis nolis, pecuniam profundes, in Hispania si velis maximè, non tamen poteris. Dominus autẽ Fernandus patronus & vates noster, solabatur vt poterat, & per viam adhibebat diligentiam, ne quid deesset hominibus Brabantinis, & insuetis malorum diuersoriorum: tamen terrae genius, omnem illius & sedulitatem, & liberalitatem vincebat. Credo si semel conscripsero dialogos, notabo suis coloribus diuersoria Hispanica. Vide quaeso infortunium, cùm haud procul à Victoria diuertissemus, nisi tamẽ fallit memoria, at parui refert, quando fermè omnia sunt pari fortuna: cùm ergo mensa posita esset, & vnum tantùm poculum esset vitreum, quod in orbem ambulabat, casu quodam è manibus Vasaei nostri decidit. & fractum est nec quicquam restabat, nisi vt Diogenis exemplo caua manu biberemus. Hoc autem totũ factum est, vt adimpleretur sermo quẽ dixit, fore vt aliquãdo pocula quoq; deessent. Alio quodam tempore prandentibus nobis, superuenerunt noui viatores, & inter conuiuia duo, vnum discurrebat poculum. habes foecundas praemissas, inferes conclusiones quaslibet, omnium enim ferax est Hispania. Itaq; Cantabria vtcunque nos deliciis patriis abstersit, & ad reliqua ferenda fecit idoneos. Postquam verò peruenimus Burgos, & nescio quos aestus haberemus in animo, nihilominus alsimus quã Louanij, nisi quòd lignorum copia esset parua. Memini hic iam vici satis populosi, vbi vnum solùm nancisci potuimus fasciculum sarmentorum: neque enim praeterea fuit alter, & praeter spem bruma inualuerat. Omitto Pinciam vbi haesimus

mus

mus dies decem, dum certiores redderemur de commodo domicilio, quod Methymnæ, quò tum pergebamus, ſtatiua erant aulæ Imperatricis. Diuertimus ad Proreginam Indiæ, huius enim matrimonio iunctus fuerat quondam frater D. Fernandi: illic omnia meliora, & commoditas tanta, quantam inter aulicos ſperare liceat. paulò pòſt abimus Salmanticam, vbi cùm ego poſtea ſubſiſterem in meis ſtudiis, & rogante Epiſcopo Cordubenſi, ſuſcepiſſem docendum filium fratris Proregis Neapolitani: reliqui interea in aula verſati ſunt, & poſt annum demum profecti ſunt Hiſpalim. Illic ſocius profectionis perijt Iohannes Hammonius, correptus phreneſi, alius è miniſtris Gallus & ipſe, quē in via oblatum adduximus, ſubmerſus eſt in Betico flumine: equorum cuſtos qui nobiſcum è Louanio venerat, defunctus eſt Salmanticæ. Tres abſtulit triennium. Porrò ipſe meus Vaſæus, Auguſto ſuperioris anni deſperatus iacuit, adeò illic omnia feruent in Betica: ſaluus tamen ad me venit Eboram, paulò poſt Calendas Octobres: iam enim exactum erat tempus quo ſeſe addixerat D. Fernando, & calida non placebat Hiſpalis. Is nunc agit Salmanticæ, honeſta conditione, ocium nactus & ipſe profundiſsimū, de quo narrare libet, & deinde ad me veniam. Eſt Prætor Antuerpienſis Franciſcus de Valle, is ante annos aliquot creditor Cæſaris venit in Hiſpanias, recepturus quod deberetur: longa eſt fabula, & nihil ad nos. Filium habet natum annos credo xv. qui prioratum Eccleſiæ Salmanticenſis obtinet, qui eſt circiter ſexcentorum ducatorum quotannis, præter alia ſacerdotia, quibus oneratus eſt. Huic præfectus eſt Vaſæus noſter docendo, patri, ac matri, & vniuerſæ familiæ chariſsimus. Bona ſpes mihi per hunc poſthac fore, vt crebrò literas meas accipias. Oro te, mi colende præceptor, vt tuas inuicem videam, eas curabis perferendas Louanium ad Rutgerum profeſſorem Græcum, qui dabit operam, vt tandem ad me veniant. Sed ad me redeo, qui tametſi

metſi

metſi vixerim alioqui ſuauiſsimè cum amicis Salmanticenſibus, multa tamen mordebant ſubinde, quoties reſpublicas noſtrates cum iſtis cõferrem, & vtriuſque nationis religionem perſpicerem. Sed iam vtcunque ad res inſolitas minus commouebar vſu doctus & admirationis ſatur. Et viuendi genus illud, etſi remotiſsimum à noſtratium moribus, hac tamen parte nunc felix arbitror, præ vt hîc viuitur. Nam Salmanticæ rerum certè omnium eſt copia, & familiam componere licet more Brabantino ſi libeat: miniſtros, ancillas, & reliqua omnia compares, & tractes vt liberos homines decet. Verùm vbi primùm ingreſſus ſum Eboram, putabam me veniſſe in ciuitatem aliquam Cacodæmonum: tot vbique occurrebant Aethiopes, quos ego ſic deteſtor, vt vel ſoli queant me hinc depellere. Quòd niſi Deus amicum largitus eſſet Magiſtrum Iohannem Paruum, doctorem Pariſienſem, haud ſcio an hactenus ſubſtitiſſem inter Luſitanos. Eſt hic diues admodum, non canonicus ſolùm, verumetiam Archidiaconus templi, qui non minus abſentia mea cruciaretur, quàm ego illius: adeò viuimus amicè & familiariter. Videor mihi verſari in Pædagogio noſtro. Domum habeo è regione illius: cùm menſa poſita eſt, vocor. Inter comedendum legitur aliquid Hebraicè è Teſtamento veteri, & Græcè è Teſtamento nouo: dubia conferimus, & alter alterius ſcientia fruimur, quando & ipſe has literas non ignorat, & duos habet domi conſanguineos ſic ſatis peritos. In ſumma tota confabulatio, aut literas habet, aut ſermones de pietate, & religione. Nihil itaque hactenus mihi fuit negotij cum iſtis mancipiis. Vnum habeo miniſtrum noſtratem, annoſum, & rerum domeſticarum peritum, quem offendi Salmanticæ. is meis vſibus & negotiis vacat vel ſolus, nec graue eſt non imperioſi domini iugum ferre. Quòd ſi me ad ingenium terræ vernaculum accommodarem, ante omnia mulam alerẽ, & miniſtros quatuor.

Qui

Quî poſſes? Ieiunarem domi, foris ſplendidè triumpharem, & amarum illud ſumerem pharmacum, vt plus deberem quàm queam ſoluere. Nam ita demum perfectus abſoluitur aulicus. Venit hîc in mentem cuiuſdam, vnde coniecturam facies de cæteris: is quem tibi depingere volo, ſimultates exercebat cũ homine (credo) Gallo, qui huc migrauerat tempore regis Emanuelis, aſcitus in familiam Leonoræ reginæ. Luſitanus faſtu externo vincebat, Gallus cœnabat lautiùs: & (vt fit) nõ ignarus iſtorum morum, curioſitate quadam, & arte nactus eſt libellum, in quo alterius referebantur ſumptus diurni. Incidit in locum ſatis ridiculum, & planè Luſitanicum. Cùm enim ſic quotidie ſcriptum eſſet, in aquam quatuor ſectilia, in panem duo regalia, in raphanum ſeſqui regale, & ita tota hebdomada tam magnificis impenſis decurreret, ratus aliquanto lautiorem futurum diem Dominicum, ſic ſcriptum repperit, hodie nihil, quia in foro non erant raphani. Eiuſmodi chariſs. Latome faſtuoſos ῥαφανοφάγους multos hîc reperias, & tamen plures ſecum foris trahunt famulos quàm domi conſumant regalia. Imò credo hîc eſſe, quorum cenſus non eſt maior meo, attamen octo vtuntur aſſeclis, quos vtcunque, ſi non grandi cibo, fame tamen ſuſtentant, & aliis fouent rationibus, quas ego ſtupidus nunquam diſcere potui: nec magni negotij hîc eſt, inutilem turbam conquirere ſeruorum, quòd omnia potiùs ferant, quàm artem diſcant mechanicam. Et quid quæſo tanto opus eſt numero? Et ſi ocium agant omnes, nemo tamẽ caret officio. Duo præcedunt, tertius geſtat galerum: quartus pallium ſi fortè non pluat: quintus equi capiſtrum: ſextus holoſerica ſandalia, ſeptimus ſcopulas illas quibus veſtes repurgãtur à pilis: octauus pannum quempiam, ad abſtergendum equi ſudorem, interim dum dominus audit ſacrum, aut confabulatur cũ amico: nonus pectinem promit, ſi fortè honoratior ſit ſalutandus, ne incompoſito appareat capillitio. quæ vidimus teſtamur. His moribus tu fieri putas, vt laborem

vllum

vllum ingenuo patre natus ſuſcipiat? Etiam ſi dimidiū prouentuum meorum effundam, non nanciſcar ancillam liberam, aut miniſtrum verè miniſtrum. Quin & noſtrates quoque perpenſa gentis conſuetudine, protinus rediguntur in nobiles: pudori enim daretur, ſi è macello partem carnis deferrent, aut oſtẽderent ſe manibus valere. Omnia huc ſpectant vt perpendas, quàm diſtent hi mores à noſtratibus, ipſis quoque Luſitanis non probabiles. Verùm hic guſtus ocij ſic paſſim omnes corripuit, vt boni viri, velint nolint, mancipiis vti neceſſe habeant, & prudenter ferant, quod vitare non poſſint. Faxit Deus, vt aula diu perſiſtat Eboræ, tum propter D. Archidiaconum doctiſſimum & optimum virum, tum etiam propter rationes domeſticas: quæ ſi ad Aethiopum regnū reuoluantur, vereor ne hic diutius hæream quàm velim: ſin receptam conſuetudinem pergam damnare, non video aliud futurum, quàm vt ſubitò me aliò conferam, aut miſerè comedam raphanos. Conſolor tamen ipſe me fortiter, & magis præſenti gaudeo ſtatu, quàm metu futurorum conficiar. Tantùm volui tibi ſignificare, quomodo ſeſe hic omnia haberent, vt quemadmodum præſens conſueuiſti, ita adhuc pergas etiam abſens conſilium tuum adhibere. Memini me quandoque leuiter abs te caſtigatum, quòd ad rem parum attentus eſſem, & parandū etiam ſenectutis viaticum. Hactenus non induxi animum, vt aliquid proſpicerem in poſterum, nec adhuc mihi poſſum illud imperare. Spero dabit locus exilij mei victum exuli, quocunque me Deus miſerit: quòd ſi nihil reliquum eſt in patria, quòd me reducem queat alere, moriar peregre, & ſtudiis meis morem geram, potiùs quàm illic nemini. Nam de parandis hic opibus, quemadmodum plerique putant, vt benè ſaginatus domum reuertar, id verò ſomnium eſt: habentes victum & amictum, his cōtenti ſimus: & vt cū Flacco dicam: Lætus in præſens animus quod vltra eſt, oderit curare. Spes nummaria non me fecit erronem, ſed ocij deſideriū, id volente

Domino, consecutus sum profundissimum, nō est animus præsenti oblata occasione non vti. Valeant qui crastina curant. Scio te ridere stultitiam meam, ipse tamen me hoc nomine non possum ridere, & ideo tibi forsitan magis ridiculus videor. Verùm quid facias, si aliquis me ita incantauit, vt nolim vllo pacto solicitus esse de crastino? Non semel mihi succurrunt tres illi profectionis comites, forsitan quarto anno quartum adijciet Deus Clenardum. Et quò mihi diuitiæ si non conceditur vti? vnicus semper mihi fuit scopus, è turbis illis eripi, quas præbebat patria. satis mihi beatus videor, quòd vel tandem peregrè contigerit. Nihil amplius opto, quàm vt Deus hanc mentem mihi sempiternet, ocium præsens conseruet, & qui viuere nō cupiam valde diues, ne vnquam sic desipeam, vt diues velim mori. Sed iam sit modus tam loquacis epistolæ, quando amoris erga te mei modus nullus esse queat. Charissime præceptor, da quæso veniam, & vicissim ad ineptas literas, & sapienter & copiosè de rebus me omnibus certiorem facito. Non poteram cohibere calamum, quin quiduis effunderet: adeò iucunda mihi est memoria Latomi. quòd si hactenus tacuerim, iam caussam dixi silentij: tuum erit omnia in partem accipere meliorem, & ita Nicolaum tuum ex tempore scripsisse, vt simplex animus dictabat, cogitare. O si aliquando dabitur in mutuos amplexus ruere, & buccis plenis de omnibus & coràm colloqui: sentio hîc vim latentis naturę, institutum sermonem abrumpo. Abbatem Blosium semel credo, aut bis salutaui, paucis tamen verbis. an acceperit literas, equidem hactenus ignoro: ego certè ab illo nihil vicissim accepi. Scribam nunc rursum, & ipsi quoque obtrudam prolixam fabulam. Sororem charissimam cupio rectè valere. Vtinam desierit laborare è capite. Adornauit rex noster classem quandam, subsidio Imperatoris adituri Italiam: ea bellissimè instructa est Vlyssipone. Cumq; putaretur iam profecta, heri inde acceptis literis, intelleximus dilatam profectio-

fectio-

fectionem: cùm tamē ferant Cæſarem veniſſe Barchinonem. Feſſenſi, quem aiunt aduentare vt oppidū Saphin expugnet, & alioqui quotannis Maurorū incurſus ſemper aliquid noſtro regi faceſsit negotij. Forſitan audiſti obſidionē anni proximi, quæ Luſitanos valde ſollicitos habuit. Sunt oppida quædam in confinio ſita Luſitanicò, præſidio, eóq; perpetuo munita: quæ ſi Maurus ſemel recuperet, etiam de bona parte Beticæ actū fuerit. Inuitat me quod reliquū eſt ſpacij, vt de ſectilibus aliquid adhuc tecū fabuler. Menſe Iulio calent hîc omnia, vſq; adeò, vt vix vrbe tota puteū reperias, qui non penitus aqua deſtituatur. Niſi ſiccis faucibus perire velint, ante diem foris petenda eſt aqua. Interdiu verò in foro mulierculę proſtantem aquam venditant, & ſectiliatim diſpertiunt. Ibi etiam ſi raphanophagus fortè purpuratus præterequitet, iubet porrigi quod bibat. Non enim id vitio vertitur, alioqui perpetua notandum infamia, ſi quem hoſpitem in taberna vinaria tractaret. Non ſemel mihi quoq; contigit, vt cùm lauandæ forent manus, ad ſectilia tanquam ad ſacram anchoram cõfugeremus. Siquidem non ſemper habitaui tam commodè vt in præſentia. Quid reſtat, optime Latome? niſi vt orem Deū ne hanc animi ſecuritatem Nicolao tuo quandoq; adimat: Commendabis me precibus tuis Domino, & mutuum orationis beneficium impendes. Egò & ſi velim, nequeam tamen doctiſsimi præceptoris obliuiſci. Vtinam contingat olim communem habere ſedem, & priſtino more tecum ſeria iocoſq; miſcere. Tecū viuere amem; adderem, tecū obeā libens. ſed nimis Horatianū eſt, & non crederes. Vale ergo optime atq; obſeruande præceptor. Nec ex literarum raritate animū & memoriam meam metiaris. Si fuit quoquo pactò peccatum, penſatum eſt abundè credo, & peruenimus vſq; ad Ohe, vt cum Comico dicas: Vehemens Nicolae es nimis in vtramq; partē, aut pertinaci ſilentio, aut verboſitate immodica. Sed heus tu ſecreta hæc myſteria vide ne quis coryceus audiat, ne vel me miſeriorē putet quā ſim, aut

nimis in aliena Repub. dicat insolentem. Non alio mihi modo videbar hæc scribere, quàm si tecum fabularer in cubiculo. Sint ergo omnia mea non in charta, sed in aëre scripta potius, quàm alios velim fieri huius fabulæ conscios, videlicet ne quà hoc ad ῥαφανοφάγον aliquem permanet, & ego perierim funditus. Eboræ XXVI. Martij. Anno M. D. XXXV.

NICOLAVS CLENARDVS D. LATOMO SVO S. D.

MVLTIS paginis opus esset, si tibi ordine statuam perscribere, quo pacto hęc proxima successit profectio, particulam vnam modò decerpam, vt inde coniecturam facias quàm sim in præsentia ad quæuis exercitatus ferenda incommoda. Conductis mulis clitellariis tribus, quibus agasones duo præerant, & coemptis caballis duobus mihi ac ministro, XXX. die Iulij cùm iam vtcunque deferbuisset æstus, cœpi iter facere Bracaram versus. Aderant comites mihi tres serui Aethiopes, Dento, Nigrinus, & Carbo. Pompam si vidisses, & arcas grandes tenuis domini, omnino credidisses aliquem aduentare Episcopum. Discesseramus ab Ebora inclinante iam die: tantæ molis erat Eborensem linquere nidum. Quare factum est, vt serò & multa nocte vix tandem perueniremus ad primam stationem, implicati etiam erroribus, & dispendio leucæ vnius. In diuersorio vinum non erat. Aiebant in domo proxima venditari, sed abierant omnes cubitum. Itaque ad lagenam nostram confugimus, quam in huiusmodi vsum adornaueramus. Equi nobis fuerunt multò magis felices, vt qui talem aquam hauserint, qualem antea nunquam: quod vt exactè pernoscas (ad rem enim, opinor, facit) calculi nostri in memoriam reuocandi sunt. Ducatus continet centusses quaternos: Centussis, regalia centena: sint sanè decem regalia stuferus Brabantinus. Cùm ergo rogaremus, quò duceremus equos aquatú, toto

toto pago ſiccitatem eſſe narrant. Quid?nihil domi habetis aquæ? En tibi ſex hydrias plenas, inde iumentis ſubuentum eſt, tanta liberalitate hoſpitis, vt in ſingula capita imputaret terna regalia, hoc eſt eorum ſymbolũ qui Louanij potitant vinum vernaculum. Mihi illic lectus fuit multò breuior, quàm pro pedibus, adeò vt ſi bruma fuiſſet, genuum tenus abijſſem in glaciem. Mancipia mea, quæ domi aſſueuiſſent ſtratis mollibus, cùm diu è miniſtro quærerent, vbi nam dormirent; ſtoream quandam declinare coguntur. Hæc omnia prophetica erant auſpicia inſtitutæ peregrinationis. Subſequente nocte cùm ad montem Argillæum veniſſemus, vnica erat caſula, vix ſarcinarum capax, ſtabulum equis nullum, lectorum ne vmbra quidem. Et protinus nos ad hoſpitam. Eſtne hordeum? Non eſt, inquit, ſed habeo ſiliginem. Per Hiſpaniam, mi Latome, nec fœni, nec auenæ vſus eſt, ſed palearum & hordei: Hic cuniculus nobis cœna fuit, quem interdiu malè augurantes emeramus. Equi ſub dio pernoctabant, vnà cum reliquis comitibus ſubſtratis humi clitellis, & huiuſmodi delitiis. Ego dominus, vt par erat, commodius tractari debebam: inter ſarcinas me ſic compoſui, vt caput & dorſum vtcunque conquieſcerent; reliquum corpus propenderet vnà cum pedibus leuiter ſubraſa terra. Vix dum hora præterierat, neq; enim ſolidam noctem dormire cõueniebat, cui tantus ſtrepitus curæ fuerat, cùm ſubitò muliones excito: at nec dum licebat progredi, quòd adhuc lateret Luna, quare & ipſe ſomnolentus accubui inter agaſonum aulæa, quorũ ego vitam dum toto hoc itinere diſco, ſi è cubili metienda eſt ſanctimonia, plus eſt ſanctitatis in his duobus meis agaſonibus, quàm in vniuerſis fratribus minoribus: quin & me nocte illa ſanctiorem fuiſſe putem, quàm decem Franciſcanos. Iam Luna emergebat, & per vaſtum deſertum quod reſtabat, iter facere cœpimus. vix tandem meridie ipſo, ſpacio horarum decem, confeceramus leucas quatuor, cùm interim & Guillielmo meo procidiſſet

equus, nõ sine periculo, & mihi fermè idem accidisset, nisi adhuc meminissem in huiusmodi casibus ad frenũ concurrendũ esse. Pransi sumus madidius, & lagenam exhausimus securi iam de cœna proxima, quã vltra Tagum muliones promittebant opiparam. Quid fit? seriùs aduenimus, quàm vt Tagũ traijcere liceret. Vnum erat in ripa diuersorium, cuius dominum, si rex fuissem, ea nocte coniecissem in carcerem, aut adegissem in crucẽ, adeò nos excepit inhumaniter. Itaque prius aliquantum distomachatus in agasones, qui non magis properassent: ingredior domum, et salue, inquam, hospes. dubitabat Polyphemus, an resalutare deberet. Habetis paleam? Silebat obambulans, occupatus, credo, in instruenda nobis cœna. Habetis, inquam, paleam? Vix tandem respondit non esse paleam. O misera Lusitania, Beati qui non viderunt, & crediderunt. Interim desidebam totus ira tumidus. quòd posteaquam equi nostri benè ieiunassent, & aliquantum abiissent temporis deponendis sarcinis, domum dicebant palearum esse plenissimam, eam vix tandem post multos clamores protulerũt. Eadem mora fuit in ordeo. Heu gentem vltrataganam. Pergamus in fabula. Est quòd comedamus? Astabat igni ollula parua, cui inerat frustum lardi. Eia præbete mihi partem. Præbuerunt haud aliter, atq; carnes apud Genuenses: mihi obtigit puto semisemuncia, nec multò plus Guilielmo meo ministro. Habetis ne oua? Non est iam ouorum tempus. Quid, nullámne gallinam? Non sunt hìc nobis gallinę. Omnia scrutabar, vt aliquid saltem obijcerem latranti stomacho. Heus hospita, posséśne mihi cedere partem iuris, in quo coctum est hoc lardum? Nõ est salubre: Da inquam quale quale sit, vt intingã modò panẽ. Nõ valet, inquit. Et ego ad ministrũ: quid agimus Guilielme? nihílne reliquum est vini candidi? fortè fortuna scyphulus vnus remanserat è prandio. Itaque partem panis torrebam, & vipam (vt vocant) faciebam, scilicet vt cõsumeret si quid fortè ex copiosa cœna grauasset stomachũ, exhausto scy-

pho

pho magis etiam esuriebam. Et protinus, nihílne præterea, inquam, domi est lardi? Assare voluissem super prunas: non est sanum nocte: difficile erat aliquid cõtra tam præfractã medicã obtinere. O muliones, quàm bellè nos decipitis. In Taucos habituri eramus omnia, nam sic pago nomen est qui cis Tagum iacet, quo traijcere non potuimus. Heus hospes, nihil est hic piscium? non est dies pisculentus. Quid facerem? commodùm venit in mentem cæparum, quas puer assas aliquando comederam. Et protinus: Suntne vobis cæpæ? quàm hic metuebam ne negaret. Videbimus, inquit. Aliquandiu inter spem metumque suspensi, hospitali Ioue propitio, nacti sumus par vnum: id dum assatur, pulchrè mihi dẽtes pruriebãt, quasi in phasianos essem inuolaturus: alteram comedit Guilielmus; alteram ego lambendis subinde digitis: conditæ autem erant oleo & aceto, cuius illic bona sanè fuit copia, nam quod vinum appellabant facilè duorum fungebatur officio. Post tam lautum conuiuium, habésne, inquit meus Guilielmus ad hospitem, lectum huic domino? Non est, inquit Cyclops, jam lectorum tempus. Quàm me putas consternauit hoc responsum? Subibant animum noctes duæ quibus multis Franciscanis incommodius cubueram. Post multas preces extorsimus lectum viginti regalibus, quem alijs in locis præbebant nummis quinq; aut decem. Auriferum Tagum dixerunt Poëtæ, non ita me Deus adiuuet à ferendo, sed ab auferendo auro. Cùm tam malignè fuissemus excepti, plurimum tamen soluimus, vt nummulos aliquot omittam quos perperam supputando lucrabatur planè mercurialiter. Quid tibi videtur, mi Latome? An non verum erat vaticinium: cũ nudis dormirem pedibus? Transmisso iam Tago omnia mitescere visa sunt, venimus Conimbricam, de qua egi apud Resciũ. Braccaram ingressi sumus XII. Augusti, locũ mihi gratissimũ. Cras si Deus permiserit, proficiscor ad diuum Iacobũ, hinc abest circiter leucas XXX. etiam inde salutãdus es, vt omnis exilij mei habeas testimonia.

Interim Deum orabis, vt me quemadmodum ſtatui, æſtate proxima vobis incolumem reſtituat. Saluto magiſtros noſtros, & me illorum commendo precibus. Vale mi præceptor, vale chariſsime Latome, cum ſorore, & Latomo iuniore, & vniuerſa familia. Braccaræ XXI. Auguſti. Anno M. D. XXXVII.

NICOLAVS CLENARDVS D. LATOMO SVO PRAECEPTORI. S. D.

ETSI magnam mihi putem fieri iniuriam, quòd tot epiſtolis prouocatus nihil reſponderis: humanius tamen eſſe duxi peccare officio, quàm ſilentio retaliare iniuriam. Audi igitur, optime præceptor, quo in ſtatu ſint nunc res meæ, & quo terrarum iactatus ſim amore Arabiſmi, qui quondam tam ſolebam eſſe ſedentarius, vt vix pedem domo proferrem. Superiore Nouembri deceſsi Braccara, iactis iam ibi nouæ ſcholę fundamentis, cui præfecimus Vaſæum ſocium illum itineris mei ſtipendio centum milium, hoc eſt, quingentorum Rhenenſium. Nolite inuidere Theologi Grammaticis, ſi opibus certent cum Canonicis Cameracenſibus. Sed vt cœperam, reliqui Braccaram, & profectionem adornaui Caſtellam verſus. Siquidem animus erat trimeſtre illud hibernum inſumere peragrandis vrbibus aliquot Hiſpaniæ, oſtenſa mihi ſpe hominis Arabici, quem in vinculis eſſe audiueram Cæſarauguſtæ. O te miſerũ, inquies, qui cùm poſſes eſſe felix, verſandis libris Latinis, Græcis, Hebræis, Chaldæis, tamen tot viarum te obiectes periculis, vt ſalutes captiuos Arabicos. Magis id diceres, ſi die Clementis coràm teſtis adfuiſſes, cùm montes arduos eques conſcenderem: aut cùm proxima quadrageſima, fermè diem totum in fragoſis rupibus erraremus famelici, ſitibundi, nullò aquarum reperto veſtigio: verùm quos manet galerus cardinalitius, eos æquum eſt his veluti rudimentis, ad tantum faſtigium erudiri. Omiſsis iocis, pergamus in fabula. Propoſueram

ram,inquam,adire Salmanticam,Cæſarauguſtam,Murtiam,Granatam,Hiſpalim, & fortè Toletum,atq; Complutum. Venabar enim quædā in Arabicis, quæ priuato Marte cōſequi nō poteram. Vbi veni Conimbricam, noua hæc eſt inter Luſitanos Academia,quàm magno, & planè regio animo rex noſter molitur:ſtipendia profeſſorum quondam ad te perſcripſi, vnum dolenter dicam : ſuperiore hyeme accitus eſt eò cauſificus quidam, ſalario mille ducatorum quotannis. Vide quàm ſint in precio diſcordiarum patroni. Eò igitur cùm acceſsiſſem,audio apud amicum in colloquio,Hiſpali eſſe figulum quendam Neophytum è Machometica gente, hominem Arabicè doctum, & quo ante annos aliquot vſus fuerat præceptore Pincianus quidam, vnde libros emeram Salmanticæ. Itaque diuerſo peregrinationis ordine rectà propero in Beticam. Medio itinere obnūciata morte hoſpitis mei Iohannis Parui, deflecto Eboram,& ſaluo amico præter ſpem reperto, dies aliquot hęſimus in mutuis complexibus,& ſimul reparauimus vires,quas in miſerrimis diuerſoriis attriueramus. Specimen quoddam habes in epiſtola, vbi inter cælum ac terram ſuſpenſus dormiebam. Ingreſſus Hiſpalim, ſtatim ad figulinas accedo: verùm docendi munus detractabat ſenex, quem conſpurcatis brachiis in officina repperi ollulariam exercentem. aiebat ſeſe iam ſenem, præterea aliis diſtractum negotiis (nam ſimul & medicinam meditatur in Triana, hoc eſt Hiſpalenſi ſuburbio) non poſſe mihi vacare;ego interim ſubornato D. Fernādo,apud quem eram in hoſpitio,quòd eo auctore veniſſem in Hiſpaniam,omnem mouebam lapidem, vt ſaltem inter ollas mihi locus daretur, & obiter inter agitandum rotam ſubinde dubiis meis reſpōderet, obtineri res non potuit:Sontica allata eſt cauſa,& ſi Maurus eſſet natione,ſe tamē aiebat verè Chriſtianum,nolle ſe vllum veteris ſuperſtitionis ſignum dare, nec fieri poſſe, quin plerique de eo ſermones miſcerent, ſi me aut priuatis in ædibus,aut inter operas ſuas in diſcipli-

nam suscepisset. Neophytum se quidem esse, tamen vitæ genere se consecutum, vt paucis videretur alienigena, ægrè se opinionem illam velle perdere. Eam causam cùm meritò acciperem, & tamen anxiè quærerem à quo discerem, assumpto mecum Arabico codice, quæritabam in foro inter mancipia, si quis fortè è Tunetensibus esset qui nosset literas: nactus vnum qui sese literatum profitebatur: Quid, inquam, in diem lucraris? Viginti quinque obolos. Eia mecum sis in cubiculo ad prunas, & tantum docendo capito, placet conditio. Inter confabulandum, tento hominem num mecum velit abire in Flandriam. Iam enim putabam apud me esse, aut Despauterium, aut Nebrissensem. Non omnino abnegabat: ceterum se redemptionem expectare, & propediem venturam pecuniam ex Africa, quæ si eum spes destitueret, ego cum hero paciscerer, & præceptorem abducerem. Rursum hinc excludor. Nam allati sunt nummi è Fes, & meus liber discessit magister. Quid restabat, nisi vt omnino desperatis rebus abijcerem Arabica, & me quamprimum ad vos reijcerem. Intellexeram ex hoc Mauro, alium quendam seruire Almeriæ: iter est xxx. leucarum vltra Granatam, hominem mirè doctum, & facilè posse illũ redimi. Deterrebat me prolixitas itineris, præsertim hyeme, quæ tum multò quàm solebat inclementior incubuerat Beticæ, & montes niuosi mihi narrabantur, qui Granatæ imminent. præterea non sine periculo adiri Almeriam propter Maurorum incursiones. Certè prouidendum erat, ne nimis fierem Arabicus, quàm vellem: hoc est, ne dum captarem literas, ipse in captiuos referrer. Ieci tamen aleam, & Granatam veni, inde ministrum misi, qui hũc quem dico Maurum conquireret. longæ sunt ambages, si singula persequar. Venio ad summam. Cùm Marchio qui regno Granatæ præsidet, in mei gratiam literas ad herum misisset, immodico precio consternati sumus. Petebantur ducenti Ducati. Deinde post menses duos, quos Granatæ contriui apud medicum quendam, ipse

ad

ad Maurum profectus ſum. Interea creuit merx Arabica, & petebantur Ducati trecenti. Ne tamen omnino conſuetudine hominis fruſtrarer, quem doctum noueram, accepi conditionem quam tulit Marchio, ſe curaturum vt Mauro vterer Granatæ, modò ego illi, & filio operam meam commodarem in Gręcanicis. Aegrè differebam reditum in patriam, ægrè priuabar hoc Mauro: remedium vnum videbatur, ſi ad Iulium vſque hîc manerem, ac poſt fructũ aliquem cumulatior abirem, poſſe enim me Auguſto nauigare vt Martio. Ita factum eſt: cùm appeterent Calendæ Iulij, ego iam abiturus videbar, cùm nihil vellem minus: ſtatueram enim quiduis pati, quo hunc abducerem præceptorem, iam domeſtica conſuetudine expertus illius literas. Marchio & filius me retinere conabantur, cauſantes æſtum nimiũ, quo durante non eſſet tuta profectio, ſaltem menſes duos auferre volebant, vt interea filius conſummatior eſſet in Græcanicis: videbam eò rem ſpectare, vt hunc Maurum emptum donarét, modò permanerem bimeſtre: tamen nè quid fucatè agerem, vltrò adiui, conditionem laturus. Donate, inquam, hunc mihi Maurum, perſiſtam hîc vel ad ipſum vſque Ianuariũ. Donabimus inquiunt, etiam ſi mille conſtiterit aureis: itaque mihi hîc reſtant menſes ſex, quos non tam diſcendo Arabicè conteram, quàm conquirendis codicibus. Granatæ libros repperi, quos mihi hoc tempore Maurus deſcripturus eſt, venales enim non ſunt, nec alibi temerè fuerint exemplaria, cùm hîc in funere Auguſtæ eſſet Cardinalis Burgenſis, benignè operam ſuam pollicitus eſt, & ſe vel apud Cęſarem acturum de libris qui ſunt apud inquiſitores, vt mihi potiùs ſint vtiles quàm Vulcano. Eſt inter aulæ proceres noſtras quidam N. qui cum huic Marchioni intercedit amicitia. Propediem auctore Marchione ad eum daturus ſum literas, vt hac in re nobis commodare velit. Quorſum, inquies, tanta iſta molimina? Audi chariſsime præceptor: Principio cùm

diſcen-

diſcendi laborem inſtituiſſem, nihil aliud propoſitum habebam, quàm vt affinitate linguæ penitius intelligerem Hebraica, nec ſuperſtitionem Machometicam ſomniabam. Nuper cùm me Salmanticenſes reuocare conarentur, primæ notæ amicus Franciſcus Victoria, non ignarus ſtudij mei, ſedulò me hortatus eſt, vt me componerem ad ſcribendum contra Machometum, quando bona pars Hiſpaniæ contagio ſectæ laboraret, & illarum quoq; ouium habendam eſſe rationem, librum editum Latinè vertendũ in linguam Hiſpanicam, mox Græcum poſſe fieri, quo & Græcia, quæ fermè tota Machometi eſt, errorem ſuum agnoſceret. Ego nõ neſcius quàm parum ad eam prouinciam eſſem idoneus, præter cætera illud quoque addidi: Primùm legendum eſſe Alcoranum : deinde Sunam : & ſtultum oppugnare, quod non planè perſpexeris. Poſtquam hic Granatæ totus in hoc ſtudio fui occupatus, nihil magis mihi arridere cœpit, quàm quò inuitabat Victoria, hoc eſt, vt oppugnando Machometo me iam deinceps dederem, quando occaſionem nactus ſum, vt facilè omnia illius ſuperſtitionis inueſtigem myſteria. Cœpi cũ hoc Mauro legere Alcoranum: is eſt liber velut Iudæorum Pentateuchus, aut Chriſtianorum Euangelium. Suſcipiunt illi vetus ac nouum Teſtamentum, iubente Alcorano: at innumeris ſcatent hæreſibus. Chriſtum Deum negant, nec eum occiſum à Iudęis, & multa item alia ſunt dogmata, quæ pugnant cum Euangelio, vt Euangelio prodito, abrogata eſt lex ceremoniarum Moyſi: ſic aiũt Machometum ſucceſsiſſe Chriſto. Hic negotij cardo eſt, & hinc ordienda eſt diſputatio, vt perſuadeamus nec ſacerdotium Chriſti, nec legem tranſlatam, nec vnquam transferendam eſſe. illoſque nihil agere, niſi aut è nouo, aut è veteri Teſtamento demonſtrent Machometum ſucceſſurum Chriſto. Et quemadmodum nos non armis Euangelij, ſed veteribus libris contra Iudęos pugnamus; ita par eſſe, vt teſte Euangelio nos confutent. Eſt liber ante multos annos editus à quodam

Theo-

Theologo Christiano, qui vbi desciuisset à Christo, pro Machometo scripsit: nomen est, [illegible] Do operam, vt eum vndecunque habeamus, & iacula tentemus, quibus nam ille pugnare statuerit: Altera certandi ratio, est ratio ipsa legis Machometicæ, hoc est, Alcoranus & Suna. Hic liber est, imò volumina multa, in quibus dicta atq; facta sunt Machometi, quæ si fideliter versa essent, nemo tam à communi sensu remotus, qui non protinus superstitionẽ detestaretur, adeò pleraq; sunt ridicula. Audi quæso quod hic mihi narrauit præceptor dum legeremus locũ Alcorani de paradiso, vbi sic scriptum est: ولهم فيها ازواج مطهرة

Hoc est, & in eo vxores habituri sunt mundas. Mundas, inquit, id est, liberas à menstruis, scilicet vt quouis tempore liceat coire. Quid inquam an in paradiso celebrabuntur nuptialia? Quid ni? attamen non est futura proles, inquit. Nam voluptatis causa illic erunt vxores, non propagandis liberis, quin & singulis viris complures illic futuræ sunt vxores, pro meritorum ratione. Deusque huic plus, illi minus virium largiturus est, vt vel paucis, vel multis reddat debitum. Noli, mi Latome, ridere: deplora potiùs miseriam gentis, quæ multò latius sparsa est, quàm Christi religio. O pigros quondam orbis monarchas, qui non statim nascenti malo tulêre remedium, antequam ex Arabia serperet in Græciam. Itaque qui hîc propter Euangelium castramur, & cælibatum meditamur, tota erramus via, quibus imperitis tot obtrudendæ sint vxores: colligebat porrò, & nihil certius esse dicebat, quàm longè plures futuras in paradiso fœminas quàm viros. Quin & hac in vita quaternas licet ducere edicto Alcorani: quanto quis magis virum agere posit, tanto plures fas est ducere, non tamen supra quaternas. At præter has vxores liberum est quotquot velis emere seruas, & cum eis rem habere: has rursum potes vendere, modò steriles sint. Nam quòd ad vxores attinet, nulla interiecta causa, tamen quouis tempore repudiari possunt. Nõ tibi narro

fabulas,

fabulas, mi Latome, sed legem Machometicam, qui vxores simul habuit decem. Nam aiunt illi à Deo vires donatas prophetarum decem. Audi aliud. Quodam tempore dum potens hic propheta inter sepulchra deambularet, duobus designatis monumentis, vterque, inquit, apud inferos cruciatur, propediem tamen liberandus, alter in vita garrulus erat, & nouis rebus operam dabat, narrandis & audiendis. Alter à reddito lotio sese minus purgauit: vt id intelligas, audi legem Machometicam. In Suna præceptum est, vt vbi quis minxerit, sinistræ manus digitis exprimat, si quid fortè circa præputium sit reliquum. atque in eum vsum pannum semper secum gestant, abstergendi causa: qui si defuerit, lapillum è proximo tollunt, quo summitatem virgæ perstringunt. Et quia de lapillo facta est mentio, libet alias gentis commemorare ceremonias. Quemadmodum Mosaica lege ter coram Domino singulis annis comparebant Iudæi, ita semel in vita adeunda est Mecca, locus est in monte Pharam vbi Abraham (vt aiunt) preces fundere solitus erat. Eò igitur quotannis conueniunt peregrini, ex omni orbis parte, semperque numero accedunt sexties centena millia. quòd si pauciores fuerint, Angeli ipsi comitantur, vt compleatur numerus. Credendum est, nam ita in Suna traditur. Peractis igitur Ceremoniis Meccæ abeunt ad montem Araphet: nomen habet à cognitione. عرف Araphe, id est, cognouit: siquidem cùm parentes nostri à paradiso expulsi essent, Adam delapsus est in Indiam, Eua non procul à Mecca concidit: ac tandem dum vterque vitæ cõsortem ac comparem quæreret, sese mutuo eo in monte agnouerunt. Noli sibilare, ita Suna prodidit. Ad radices montis Araphet iacet spaciosa planities, nimirum tot capax millium. Ibi dum pernoctant, tota nocte strepitus auditur parandis lapillis, quos inde auferunt singuli sexagenos ternos, quanquam non frangenda sunt saxa, vt numerum habeas, sed religiosè quærendi sunt lapilli, vt sese offerunt. Itaque peritioribus cura est vt obam-

obambulando moneant plebem ne quid lapidũ comminuant, violari enim religionem: hic iam comparatis lapillis, quos secum in sacculo deferunt, rectà pergunt Minam: per eum locum iter faciebat Abraham, occisurus filium. Sũtque ibi columnæ tres, certis interuallis distantes, grandi vnaquæq; lapidum aceruo munita. Nam dum è religione ibi commorantur peregrini, triduum singulis diebus vnamquamque adeunt columnam, & vnamquamque septenis lapillis salutant ad quemque iactum dicentes اللهُ اكبرُ Atque hac ceremonia sese exonerant lapillis sexaginta tribus. Quid sibi hęc vult religio? Diabolus vt semper bonos ab obedientia conatur auertere, dum eo loco patrem sequeretur Isaac, suadere cœpit ne occidi sese permitteret, nec esse aliud quod pater haberet in animo. At obediens filius correptis septem lapidibus, iis dæmonem petitum abegit: paulò pòst rursum accessit tentator, & rursum septem lapidibus profligatus est, nec sat erat nisi tertiò tentaret. Credo vt Christi tentatio figuram haberet: propulsus est & tertio lapidum iactu. Quibus in locis hæc gesta sunt, religiosi sunt cippi, & quotannis lapillorum cumulantur aggeribus. Spero aliquando hominem visurus es, huius religionis participem, meũ intelligo magistrum, qui Meccam inuisit semel atque iterũ, quod genus hominũ apud eos vocantur حاجي. Nimirum eo sunt honore, quo apud nos equites Hierosolymitani. Quæ modò narraui, meritò ridemus, at apud illos Euangelij pondus habent, citiusque negent omnia quàm Sunam, quæ huiusmodi fabulamentis refertissima est. Hæc natio, mi Latome, longius distat à nobis Louaniensibus quàm Lutherani. Cæterum non passuum interuallo metiendi sunt hostes fidei: quòd si pestis illa Germaniæ, nullam nobiscum nec libris, nec lingua communionem haberet, sed lingua quadam sua & libros nouæ hæresis conscriberet, & eam publicè in concionibus doceret, puto tamen operæprecium

faceret,

faceret, qui ob id linguam hæreticorum disceret, vt errores cõfutaret, nisi fortè putas, hactenus obuiam eundum esse quatenus nobis periculum est, nec continuò contra eos arma ferenda, à quibus tuti agimus. Id quod si obtinetur, in arctum charitatem cõtrahimus, tantam Dominici ouilis portionem habentes neglectui. Quasi verò contra Lutherum pugnatum sit, non vt ipse resipisceret, sed ne alios secum in perniciem traheret. Imò verò quicunque ab Euangelio discedit, eum quantum licet reuocare debemus, vel vltra Sauromatas agentem. Omitto quod suprà scripsi de Francisco Victoria, & similitudine tecũ agam propiore. Patrum nostrûm memoria in Pontificum conciliis cum Gręcis agitatæ sunt controuersiæ, & de dogmatibus disputatum est, id credo fieri non potuit nisi linguæ communione. Nam si Christianorum nemo Græcè nouisset, quid attinebat agi conuentus? Machometus iste quem illi paracletum dicunt, promissum in Euangelio, duplici ratione superstitionem roborauit: Vt Numa congressum Aegeriæ commentus est, quo populum religione vinciret; ita Machometus fingit colloquium Gabrielis. Deinde adiecit gladium, & vi religionem obtinuit, quod illi fuit quàm facillimum, cessantibus nostris principibus. Cùmque semel in Arabia remotissima, velut solus in angulo, in lingua quam reliqui Christiani ignorabant, imperium suum stabiliuisset, armorum potẽtia fretus, vnà cum victoria Græciam occupauit, ac postea totam fermè Hispaniam. Machometistæ igitur semper armis exercitati, cùm nullam cum Christianis haberent communionem, quî fieri potuit, vt ad rectam fidem reuocarentur? Nam velut in altero orbe positi, nullo vetante, quicquid collibuit commenti sunt. Dic te rogo, nuper cùm patére cœpit Imperatori, & ante eum Ferdinando, aditus in Indiam, an non quamuis nouam religionem inuehere potuerat, & eam armis tutari? Id fecit Machometus, & facturi erant Lutherani, ni armis prohiberentur, etiam si coniunctissima nobis cum illis

libro-

librorum & ſermonis eſt communio. Sed iam veniendum eſt ad propoſitam ſimilitudinem. Nemo hactenus, quòd ſcimus, apud Chriſtianos Arabicam linguā profeſſus eſt: Nam Pſalteriū illud Nebienſis Epiſcopi nullos erudiuit. Certè nòn extant apud nos monumēta huius ſectæ tam enucleata, vt ſi cum Machometiſtis congredi velis, citra dubium eorum myſteria poſsis aſſeuerare. Hoc omnino verum puto, non eſſe nobis eos Arabicos, qui cum peritis diſceptent, quales habuimus aduerſus Græcos. Quare cùm gratia Dei, me nactum videam, vt viam aliquam ad hanc rem muniam, non eſt negligenda occaſio. Niſi mihi librorum defuerit copia, ſtat ſententia fideliter Latinis donare quicquid in eā ſuperſtitione poſitum eſt. Ac primùm vertendus eſt Alcoranus, non ille quidem nudus obijciendus vulgo, ſed adiectis ſcholiis, & tuis, aliorumq; Doctorum confoſſus hic illic iaculis. Quòd ſi tam magno animo Clenardi non defuerint opes (nam Regium ſomnio ſomnium) longè maiora tentabimus. Quid quæſo? libri iſti Hebraici, quos Venetiis imprimit Bombergus, in omnes orbis partes ad Hebræos nauigant, in Africam, in Aethiopiam, in Indiam, Aegyptum, & cætera Iudęorū domicilia. Nos Alcoranos imprimemus cum verſione Latina, & omnibus in locis vbi ab Euangelio deflectūt noſtrum habebimus præſidium, tum Latinè, tum Arabicè, id quod huius Mauri auxilio promptiſsimū erit, etiam ſi Chriſtum non induerit: ſiquidem domeſtica conſuetudine ſtatui tātum laborare, vt etiam ſtylo quid valeam. Eos itaque libros mittemus in Africam, & ſimul rem faciemus. Hæc atque alia conſimilia iam verſo in pectore, & modis omnibus àdnitor, vt vndecunque mihi conquiram codices, quibus, ſi deſtituor, fruſtra huiuſmodi ſomnio. Vtcunque de iſtis iudicabis, propius ad munus Theologicum accedit, eum facere ſcopum huius ſtudij, quàm ſi neſcio quibus vertendis Græcis, aliquid vellem dicere ſignificantius. Deinde quando quibuſdam prurit ad ſcribendum calamus, & liben-

ter eloquentiam oſtentant, vt ipſi nihil pugnauerimus, ſaltem ſtudioſis hominibus, vertendo fabulas Machometicas campũ aperiemus dicendi, ne neceſſe habeant muſcas laudare, & in re nihili bonum ocium terere. An non ſuppetent argumenta differenti de perpetuo Chriſti ſacerdotio? An impium erit declamare contra perſonatum paracletum? An minus patebit materiæ ſi quis demonſtret Chriſtum à Iudæis occiſum, quàm ſi ſcarabęus impetat aquilam? Omitto ſtultiſsimas Sunæ nænias, nam fruſtra coneris hac ratione cum illis agere, niſi prius ſtabiliueris perpetuum futurum Euangeliũ. Nihil eſt enim tam ridiculum, quod non venerentur tanquam oraculum. Non alia de cauſa, niſi quod perſuaſiſsimum habent Prophetam fuiſſe Machometum, longè & Chriſto ſuperiorem: cùm tamen fateantur, Chriſtum Verbum Dei, id eſt, كلمة الله & natum è virgine Maria, ſine patre in terris. Huic igitur muro admouendus eſt aries, & hic omnes intendendi nerui, vt quando Euangelium recipiunt, quod ſexcentis ante Machometũ annis floruit, eodẽ nos vti doceamus Euãgelio, & ſic nos intelligere, quemadmodũ proceres illi fidei intellexerunt. Verùm de iis & multis aliis tecũ coràm, ſi Deus permiſerit. Hinc Ianuario decedam in Luſitaniam, vt ſalutato Rege & meo Principe, quamprimum me ſiſtam parentibus. Cogito nonnunquam Italiam & Germaniam, vt quando ſemel peregrinari cœpi, eadem opera videam Romam, & quendam in Germania pericliter priuato colloquio. Verùm & viarum diſcrimina me commouent, & fortè ſi illuc excurram, nouas experiar remoras. Orabis Deum vt me in ſalutaria deducat conſilia. Vale, mi Latome. O quando dabitur mutuas audire, & reddere voces? Salutabis Magiſtros noſtros omnes, & me illorum commendabis precibus. Vale iterum cum ſorore & Latomo iuniore. Granatæ XII. Iulij, Anno XXXIX. Gratum mihi feceris, ſi quid fortè monendus videar, vt ante meũ hinc diſceſſum, tuas videam literas. Filius Voſtermanni Typogra-

phi

phi Antuerpienſis, facilè curauerit vt ad me perueniāt. Quotidie Hiſpalim iſthinc nauigant mercatores, Antuerpię minimo negotio effecerint, vt abs te reſponſum habeam. Præterea & in aula iſtic Mariæ non defuerit occaſio. Habitó Granatæ in Alhambra: arx eſt vrbis, vbi moratur D. Marchio, qui vrbi præſidet.

NICOLAVS CLENARDVS D. IACOBO LATOMO PRAECEPTORI SVO, S. D.

ETSI literas Arabicas principio ſequutus ſum, vt quædam rectius intelligerem in Hebræis propter linguæ affinitatem: Nunc tamen longè aliò mea ſpectare cœperunt hæc ſtudia. Dum Granatæ cum meo præceptore Arabico lectito Alcoranum, & quotidie deplorandos gentis illius contemplor errores, cogito non ſemel, quàm indignum ſit nouem iam ſeculis tantam cladem accepiſſe noſtram religionem, & nullum interim exortum, qui cum Machometiſtis in arenam dogmatum deſcenderet. Non quòd defuerunt apud Latinos, qui calamo ſectam impiam perſecuti ſint: Sed quid ad Machometiſtas, ſi nos Latinè diſputemus? Quid ad hoſtes, ſi enſem vibremus quem nō ſentiant? Neque enim tantum diſputandũ cenſeo, vt noſtros tutos ſeruemus, ne pręcipites abeant in falſam religionem; verumetiam ad nos pertinere arbitror, quòd tot orbis nationes diſiectæ à Chriſto pereant. Nec ob id diſsimulandum eſt vulnus quod vetus ſit: ſed quando vulnus eſt graue, facienda eſt medicina: id quod ſine peritia linguæ Arabicæ fieri non poteſt. Quid ergo? Parare volo qui lingua & calamo valeant Arabico: vt vel coram miſcendis colloquiis vel abſentes queant cum illis cõfligere. Ego per gratiam Dei, etſi bonam tẽporis partẽ impendi Marchioni gręciſſanti, reliquis tamẽ horis id cõſecutus ſum vt cũ pręceptore quauis de re confabulari vtcunq; poſſim, ſic certè vt alter alterum intelligat. Neq; enim alius ſermo inter nos habebatur quàm Arabicus. An putas

M. noster id me proponere, vt annum doceam Arabicè, & nemo discipulorum loquatur Arabicè? Alia sunt quæ molior, & meo exemplo studebo, si Deus voluerit, pietatis aliquem fructum è linguarū parare notitia. Verùm de hoc capite longius fortè agam, vbi peruenero in Africam. Nunc de meo itinere certiorem te faciam. Cùm iam nactus præceptorem nihil videbam mihi deesse præter codices, & eos in Hispania consequi non possem, statui mihi proficiscendum esse in Africam. Itaque relicto præceptore apud Marchionem Granatæ ad reditum, cum reliqua familia inde discessi, hoc animo, vt mensibus reliquis huius anni viuam Fesæ, inter Machometistas: ciuitas est celebris in Africa, haud aliter atque Lutetia in Francia: viget ibi Machometismus, & ingens est doctorum copia. Non possum conquiescere, priusquam peruestigauero omnia illorū fundamenta, & vniuersos comparauero libros, quibus impia secta continetur. De consiliis meis tecum sum latè acturus, si Deus me illuc duxerit incolumem. Interim ora pro me, & si quid pro tua prudentia me monendū vides, vtere præceptoris libertate. Desedi hîc in Europæ finibus in oppido Gibalaltar hebdomadis tribus; tantus est enim Neptuni fragor, vt nauigatio non sit tuta, & si traiectus non sit nisi horarum trium aut quatuor. Rectà nauigamus Septam, quod oppidum Lusitani tenent firmo præsidio, & alioqui iam in annos vndecim pax est inter nos & Regem Fesæ, vt vltrò citroq; mercatoribus commeare liceat. Spero præfectus præsidij Septensis sic mei curam habebit, vt saluus veniam Fesam, quæ inde distat triginta leucis. Nunquam me dignatus es literis tuis, dum iam octo absum annos: saltem epistola consolaberis exulantem in Africa. Bene vale, mi præceptor, cnm omnibus magistris nostris. vestris omnium precibus meum committo exilium. E Gibalaltar, VII. Aprilis. Anno M. D. XL.

NICO-

NICOLAVS CLENARDVS DOMINO IACOBO LATOMO SVO S. D.

IN Gibalaltar, hoc est, vt Arabes vocant, جبل الفتح hæsi fermè mēsem vnum, partim coactus tempestate, partim appetente & instante Christiano Pascha, vt Alleluya canerem in Europa, postremum forsitan illud auditurus: Deus qui omnia nouit mihi misericors adsit in Africa. Decima Aprilis veni Septam primum Africæ oppidum. Sed hunc angustum strictumque traiectum, tanto cum metu sum expertus: vt optimè sine commentariis intelligerem illud Virgilij: Præsentemq; viris intentant omnia mortem. horis duabus gubernator occinebat inamœnam nobis cantilenam. Ariba à vela, hoc est, ad superius latus, ad inferius: cùm interim ego iam metu præmortuus totus in sudorem solutus sum. Mox stomachus Neptuno vota credo debita persoluit, & breuiter omnibus affectus sum malis, quæ patiuntur maris insolentes. Guilielmus interea meus minister grandior, & veluti columem meæ familiæ, etsi vocem contineret, tacitis tamē votis sic agebat: vtinam hactenus vixissem frater minor. Quòd si essem adhuc in littore, nō ingrederer nauiculam, ne proposito quidem canonicatu Antuerpiensi: & quamuis alioqui non sit iniquus Erasmo, tamen optabat periculis interesse Erasmum, vt videret an vota rideret nauigātium. Quin & in me stomachabatur, qui ob steriles infructuosasq; literas, tot adirem discrimina: nisi quòd in vocem apertam non prorupit: veritus, vt aiebat, ne maledicus in me peccaret, cùm tempus esset pœnitentiæ. Erat inter rectores Gallus quidam, qui seriò asseuerabat se nunquam tanto salo perfusum fuisse, etsi omnia fermè maria nauigasset: & statim initio me terruit, cùm nautas hortaretur ne tantum indulgerent velo. iam & Septensis quidam exurgentibus subinde vndarum molibus, crebrò, inquit, hoc fretum traieci, sed antehac huiusmodi fluctus vidi nunquam. Alius Lusitanus admo-

dum peritus maris, ſæpenumerò crucem pingebat conſpectis procul graſſantibus in nos mõtibus, nõ ſine mea ſuſpicione. Ipſe claui moderator immaniter ſciſſo Neptuno, Deus; inquit, nos ſeruet ab iſto puteo ſubeunte mihi & illo Virgiliano : His vnda dehiſcens, terram inter fluctus aperit. Quid nos miſeri aliud quàm mortem ominaremur, quando ſic maris incolæ timere viderentur ? Poſt longam iactationem fruſtrati inſtituto curſu, delati ſumus in littus, quod vulgò vocant Bullones: ibi terræ redditi, proiecta ancora conchas legerunt adhærentes ſcopulis, ingratum profectò prandium meo inani ſtomacho. Locus diſtat à Septa leucam grandem : & interquieſcere volebant, donec ſub noctem miteſceret Eurus. Gallus, & Septenſis ille quem dixi moræ impatientes (vt tum quidem putabamus) terreſtri itineri ſe commiſerunt, additis aliquot comitibus : nos interim expectabamus Neptunum propitium , ac non multò pòſt, pluſculum inualeſcente Aeolo , alius adoleſcens Septenſis, inuitis nautis, abire cœpit: ibi cõtinuò Guilielmus: Nónne, inquit, rem animaduertis? paſsim dilabuntur etiam periculorum doctiſsimi , & nos hic deſidebimus? Quid agerem ? Reptandum erat per arduos montes, & bene fragoſos neutiquam peruios Theologo ſandaliato: deinde & pericula non deerant propter Maurorum ſparſas in montibus caſulas , qui ſic pacem dicebantur colere, vt nihilominus prædandi occaſionẽ noſcerent. Quid tum poſtea, inquit Guilielmus, vel nudis pedibus effugias hodiernum metum, non agitur de frangendo brachio vel tibia, ſed totum hominem vorat mare: ſi nos intercipiant Mauri biennio portabimus lapides, aut agitabimus mulos, & aſinos; ſpes tamen erit in principe tuo infante Henrico , ne perpetuò maneamus in ſeruitute. Ne longum faciam, benè reclamantibus nautis iungimur tres huic adoleſcenti, ſimul etiam ſuadente illo Luſitano , qui meum metum iam viderat. Vixdum per ſcopulos ad radicem montis reptauimus , cùm nauis rurſus in altum delata eſt , & nos

fermè duabus ſellis excluſi ſumus: Siquidem protinus in limine ipſo errauimus, nec via comparebat quam ingrederemur, huc atque illuc duce noſtro recurſante: tandem caſu in ſemitam incidimus, & benè ſudauimus, ego præcipuè, pallio, tunica longiore, & ſandaliis impeditus. Cùm in ipſo verſaremur cacumine, & corpore toto ſtillarem ſudore, miniſtrum vtrumque oneraui veſtibus, vt expeditiùs me ſubducerem è vaſta illa ſolitudine, in qua nihil erat cernere, præter Maurorum collapſas domunculas. Nam & adoleſcens, cùm longè à tergo relinquerer, pauliſper conſtitit, dum ſubſequentem cerneret: maneamus, inquit, pariter, nam hoc loco ſolet eſſe periculum, & meritò ſinguli ſuam geſtaremus lanceam. O me infelicem, qui vix me nudum portare poteram. Quòd ſi adfuiſſet Anthonius Nigrinus meus Aethiops, nihil reſtabat, quàm vt ſola indutus ambulaſſem ſubucula, vbinam erat? Monuerunt me Gibalaltar, ne ſeruum meum abducerem in Africam, quare eum remiſeram Granatam, ad reditum vſque permanſurum apud D. Marchionem cum præceptore Arabico. Sed reuertamur ad montes Bullonicos: quos vbi perreptauimus, multo adhuc ſole intrauimus Septam, per omnia benedictus Deus: ſera iã nocte comparuit nauicula, ſic tamen vt alto mari pernoctaret. Sarcinas noſtras recepimus poſtridie, vix tandem à prandio. Aiebant nautæ multò magis ſeſe poſt noſtrum abitum fuiſſe iactatos, & nobis ludũ modò fuiſſe viſum, nihil tempeſtatis ſeriæ. Nudiuſtertius cùm illi Luſitano occurriſſem: ſi, inquit, remanſiſſes, timore periiſſes: ego qui ſemper ferè mare incolo, valde metui, adeò intumuit mare ferè ad turris illius altitudinem, & quandoque vix ſalua cernebatur nauicula: primùm ad medium vſque fretum reuecti, rurſum longius è curſu fuimus excluſi, & item alia multa cõmemorabat, quę malui audire, quàm coràm cernere. Vtinam anno proximo ſaluus renauigẽ, credo non facile iterabo nauigationis aleam. Habes iter maritimũ:

ſi Deus me incolumem duxerit Feſam, video & aliud ſcribendi argumentum de profectione terreſtri: aiunt nobis quinque noctes agendas ſine tecto, ſub dio, & ſeſquidiem conſumendũ in altiſsimis rupibus. hoc Brabantino homini, & diſcipulo Louanienſi quid eſt aliud, quàm mortis ſpecies? Orabis Deum vt me ſeruet incolumem, & aliquo pietatis fructu reducat ex Africa. Benè vale, colende præceptor, cum tota familia, Latomo iuniore, & cæteris amicis. Commendo me precibus Magiſtrorum noſtrorum. Septæ XV. Aprilis, Anno M. D. XL.

NICOLAVS CLENARDVS D. IACOBO LATOMO S. D.

SABBATO ſuperiore diſceſsimus Septa, vbi hæſimus quatriduum, ipſo ſcilicet tempore quo Machometiſtæ ſuum celebrant Paſcha. Oppoſui ego aliquid veteri prouerbio: Semper aliquid noui adfert Africa. Siquidem multò magis me admirati ſunt, quàm ego illos, qui iampridem narrante meo præceptore illorum mores didiceram. Monitus fueram ne quid vel Machometiſtis crederem, vel Iudæis, quorũ etiam magna hîc eſt copia. Neutros metuo tum quòd & ſic cum illis agam, vt amare poſsint, non odiſſe: tum etiam quòd literis mei præceptoris facti ſunt certiores, quàm ego illum humaniter tractem, etſi captiuum. Apertè prædico me veniſſe diſcendæ linguæ gratia, & vt librorum mihi comparem ſupellectilem. eſſe enim iam apud Chriſtianos ſolennem linguarum complurium profeſſionem: hanc deeſſe, velut Arabicam coronidem. mihi hanc ſuſceptam profectionem, vt eam apud noſtros homines profiterer. Ego vltrò ad diſputandum non prouoco, prouocatus reſpondeo me nõ veniſſe diſputandi gratia, ſed diſcendæ linguæ Arabicæ. Illi tamen interim admirantur, cùm in colloquio me audiunt citantem fragmenta quædam Alcorani. Superiore biduo

tantus fuit hominum concurſus, vt Flandrenſem cernerent, qui legeret, ſcriberet, loqueretur Arabicè, vt vix mihi ſpacium relinqueretur rebus peragendis neceſſariis. Cumque meum ſermonem vulgati puriorem audirent (è libris enim eum hauſi) veluti oratorem quendam ſuſpiciebant Arabicum: adeò vt adoleſcentem quendam adducerent, veluti eximiè literatũ, qui quinque annos ſtuduiſſet Feſæ. Vnde nihil aliud conſequuti ſunt, quàm vt eum multis præſentibus confutarem in Grammatica: quæ mea victoria, multis in conuenticulis iactata eſt. Hæc, mi præceptor, non gloriandi cauſa commemoro, ſed vt ſcias, me gratia Dei optimam concepiſſe ſpem de hac mea profectione, nec dubito, me Feſæ multis charum & gratum futurum, etſi maximè ſim Campinienſis: Sin aliter eueniat, & mihi Deus pœnam ſtatuat imponere Feſæ; fiat eius voluntas. Benè vale, colende præceptor, & Deum ora pro me. Semper ſim commendatus precibus Magiſtrorum noſtrorum. Ex Tuytuan. XXI. Aprilis.

NICOLAVS CLENARDVS IACOBO LATOMO S. D.

DIE XXIX. Aprilis diſceſsimus à Tuytuan, noctes duas egimus ſub tentorio, Calendis Maij, confectis duabus leucis, vehemens nos occupauit pluuia, & iter torrentibus impediebatur inter altiſsimos montes, vt neceſſe haberemus figere tentoria. Sub iis deſedimus diem cum inſequente nocte. Poſtridie data ſerenitate pergere cœpimus, & quarta Maij, ingreſsi ſumus Feſam, vrbem grandiſsimam, de qua per ocium latiùs ad te ſcribam, ſimulatque hic res meas compoſuero. Salutaui Regem Arabicè, & cum eo prolixè ſermonem miſcui, expoſita cauſa profectionis, de qua cùm aliquãto ante aduentum meum certior fuiſſet factus, è literis credo præceptoris mei, iam diploma fidei miſerat vt tutò venirem in Africam, & ſi caſu factum ſit, vt ad me

non peruenerit.Pollicitus eſt mihi omnia, modò velim huc vocare præceptorem è Granata, magna enim viri fama percrebuit Feſæ: mea ſemper fuit ſententia adducere hominem Louanium,& eo tantiſper vti,donec operam præceptoris non multum deſiderarem. Volunt mihi reddere quãti eum emerim,& prçterea eius quotidie facere copiam meo arbitratu,quamdiu hîc fuero. Rex ipſe etiam fidem ſuam dat, permiſſurum ſe vt hinc mecum diſcedat in Flandriam. Id quod non video quî fieri poſsit. Verùm de exitu negotij poſtea ſcribã. Laus Deo, rectè valeo. Orabis vt me ſanum vobis reddat. Benè vale,mi præceptor, cum omnibus amicis. Feſæ VIII. Maij, Anno M. D. XL.

NICOLAVS CLENARDVS D. IACOBO LATOMO PRAECEPTORI SVO, S. D.

SOLA nominis tui commemoratio in literis Rutgeri ſic me affecit, quaſi iſthic coràm tecum loquerer: viuebas anno ſuperiore menſe Septembri: vtinam te menſe Septembri proximo videre liceat.Iam nonus agitur annus,quòd reliqui dulce Louanium,quo dum anno XXXVIII. vellem redire,quærendis literis Arabicis redactus fui Granatam,vbi quid egerim,& qua gratia profectioné inde ſuſceperim Africanam, literis miſſis ſignificaui:ſed quia fortè non ſunt redditæ,libet mihi id parté facere præſentis epiſtolæ, & deinde de vniuerſo meo conſilio tecum diſputare. Cùm incœpiſſem Granatæ legere Alcoranum, & miſcendis colloquiis cũ domeſtico præceptore, cognouiſſem quàm fœdis erroribus dementata eſſet gens iſta Machometica,ſiue ſic temerè venit in mentem, ſiue Deus hũc laborem mihi obiicere voluit, certè cœpi conſilium, vt omiſsis linguis omnibus, in quibus hactenus ſtudium poſuiſſem, iam in reliquũ vitæ ſpacium me deuouerem Arabicis, nec quieſcerem,donec ſic promouiſſem, vt & viua voce præſens,& abſens tolerabili calamo,poſſem cũ illis

in arenam dogmatum deſcendere, & ſimul meo exemplo prouocarem, ſi quis fortè hanc Theologiæ partem mecum vellet amplecti. Multa hîc ſtatim video, quæ cogitas de hac noua pugnandi ratione. Verùm, mi præceptor, hoc thema ſatis iam mihi meditatum eſt in variis epiſtolis, quas ad certos Hiſpaniæ proceres miſi, omnemq́ue angulum huius argumẽti ſic excuſsi, vt putem me aliquando mea conſilia mundo probaturum, ſimul atq; Deus me à præſenti exilio in patriam reducem fecerit. Eſt præceptor Hiſpaniarum Principis, hoc eſt, filij Cæſaris, Theologus quidam Ioannes Martinius Silicæus, vir probatiſsimæ vitæ, cognitus mihi Salmanticæ: is ſimulatq; à me factus fuiſſet certior, promiſit ſe curaturũ omnia, & Cæſarem ipſum, alioſq; mihi affuturos, modò ſcholam hanc nouam inſtituere vellẽ Granatæ, nam Neophytos illos potiùs hac re indigere. Ego verò in Brabantia ſtatui fundamenta iacere, reſpondiq; non mea conſilia deſtinari Granatenſibus, qui inquiſitionis metu ſimulant Chriſtianiſmum, ſed eos me ſomniare milites, qui cum Machometiſtis ipſis poſsint cõfligere: & ibi nobis aliquando pugnandũ eſſe, vbi apertè dogma profitentur Machometicum: nullum eſſe certamen, vbi nemo ſe præbeat hoſtem. Hunc ſcopum ſtudiis meis propoſui, quòd ita crederem me fructũ è capeſſendis linguis reportaturum, ſi eas accommodarem pietati. Mundus cœpit Græcari & Hebraicari, ſanè ornamentum acceſsit hominibus ſtudioſis. Verùm ſi hac via prorogata fuiſſent Chriſtianæ religionis pomœria, vera gratulandi eſſet occaſio. Quando ergo in Arabiſmum reuoluta eſt mea peregrinatio, non me mouit quòd auctor dicerer profeſsionis Arabicæ, non vt medicis operam præberem reſtituendo Auicenna, aut Philoſophis, corrigendo Auerroe, ſed hoc tantũ ante oculos fero, vt quemadmodum contra cæteros hæreticos ſcribunt Latinè, ſic aduerſus Machometiſtas ſtylum ſtringerem Arabicũ. Id fieri non poteſt, niſi illorũ dogmata penitus habeamus cognita, nec credamus quid in

Latino-

Latinorum libris de illis nationibus iactatum ſit. Sed quòd ſuis libris illi ferunt, id arripiamus, & contra id arma capiamus. Præter Alcoranum habent libros Sunnæ tam ridiculos, vt ipſi ſeſe poſsint confutare, niſi perſuaſum eſſet, Machometum fuiſſe prophetam veracem. Ex iis depromenda ſunt, contra quæ velis pugnare. Ego igitur putaui hos libros mihi cõquirendos, & re communicata cum doctis Theologis ad me propriè hanc reuocandam prouinciam: primùm vt linguam docerem; deinde rationes doctorum in Arabicam verterem. Neque enim omnes poſſunt Arabicari, quamuis multi queant Machometum impugnare. Et contra Machometum Latinè ſcribere, quid pertinet ad tot orbis nationes, quæ ſolam linguam norũt Arabicam? Hac mẽte cũ veniſſem Feſam (diſtat à freto Herculeo leucas quadraginta) ſtatim tota vrbe rumor ſparſus eſt, adeſſe quendam Caſis (ſic vocant literatos è noſtris, vt nos illorum Alphakios) qui cupiat diſcere linguam Arabicam, eum inter Chriſtianos aliquid eſſe: quare non expedire, vt quis me doceat, ne quam turbam in vulgo concitem. Nam præceptor meus me diffamauerat, ſpecioſis in laudem meam mendaciis, adeò vt rex de aduentu meo paulò antè factus certior, literas fidei miſerit, vt ſine periculo intrarem Feſam. Primo congreſſu vehementer fuit rex admiratus, quòd tantillum balbutirem Arabicè, nam ſententiam meam vtcunque poteram proloqui. Feſenſes autem etſi docti multi ſint, fermè tamẽ vulgi vtũtur idiomate, qui ſic diſtat à librorũ ſermone, vt vernaculus Græcorum ſermo ab oratione Demoſthenis. Deinde quemadmodũ in Hiſpania multi profeſſores Bartholum & Baldum intelligunt quidem, ac docent Hiſpanicè; ſic Feſæ extra ſcholam literatam orationem non audies. Nam inter docendum ſunt terſiores. Chariſsime præceptor, ſi vnquam fui malus orator, certè in pręſentia mihi dabis veniam, quod ἀφοριστικῶς ſcribam epiſtolam & non multum eloquẽtem: quando enim hoc proximo biennio partim moleſtiſsimis

mis

mis peregrinationibus, partim barbarorum consuetudine mihi vita transacta est, vix iam Latinè scribere possum. Fesa diuisa in duas partes. Vrbs vetus ingens est, & populosa: aiunt ibi esse templa fermè C C C C. totidem balnea: nam Machometistæ crebrò lauant, nec possunt sine lustratione horarias preces peragere, si vel pepederint tantùm. Caue rideas, non nosti eorum ceremonias. Molas habent innumeras, in quibus serui Christiani miseram vitam degunt, & re ipsa experiuntur, quid sit, Dauum dedi in pistrinum. Vrbs noua distat à vetere fermè semileuca, illic est regia: in proximo est Iudæa, suis septa muris; penditque tributum pro regis arbitratu. In ea sunt, vt puto, synagogæ octo, aut nouẽ: nam habitant ibi fermè I I I I. millia, suntque multi insigniter docti. quòd si olim talem nactus fuissem occasionem, multò magis delectassem illũ Antuerpiensem: verùm in præsentia frigent mihi omnia præter Arabismum. Nusquam sic feruet Alcoranus, vt hic Fesæ. Tunetæ florebant & cæteræ omnes disciplinę, at Fesæ post Grammaticam, toti sunt in Alcorano, & doctoribus scholasticis. Scholasticos intelligo, qui de eorum ceremoniis tractant, de lustratione, oratione, matrimonio, & similibus: quarum rerum peritiam qui tenet, vocatur الفقيه id est, Alfakius, Græcè σοφὸς, nisi quòd vox modò vsurpata est, in ea sapientia, quæ istas complectitur ceremonias. Dialecticam, Rhetoricam, & artes reliquas, vix pauci attingunt. Est apud eos hic mos: statim à primis annis ad verbum ediscunt Alcoranum, & insigunt memoriæ librum quem non intelligũt. Nec tamen vllis in scholis hic comparet codex: sed ludimagister è memoria depromit pensum, & in tabula lignea describit. id puer reponit in animo, & postridie alterũ scribitur pęnsum, donec anni, aut biennij spatio, totum ediscat Alcoranum. Multò plures reperias qui teneant sic Alcoranum, quàm qui ipsum habeant domi codicem. Quare difficillimum est irrepere mendas in Alcoranum. Post hunc ad verbum ediscunt libellum qui

dicitur

dicitur رسالة , in quo præſcriptæ ſunt gentis ceremoniȩ. Nec tamen eis quippiam declaratur, niſi quãtum aſſequuntur commercio ſermonis vernaculi, qui tametſi diſtat multum ab ea oratione quæ conſpicitur in libris, tamen magnum adfert aditum ad percipienda pleraque vocabula. Hinc iam pergunt ad Grammaticã. Eſtque apud eos receptus auctor Ibun Melic, qui Chiliade verſuum, id eſt, mille diſtichis complexus eſt vniuerſam Grammaticam. Hanc Chiliadem difficilem admodum è tabulis ſuis commendant memoriæ, & quotidie apud præceptorem penſum reddunt, domi interim lectitantes gloſſemata. Nam in ſcholis nullus comparet liber: in hac Grammatica, fermè biennio verſantur, aut quadriennio etiam quidam. Porrò auctoritates citantur à Grammaticis fermè ex Alcorano, & hîc iam fructum percipiunt memoriæ, citantur crebrò etiam poëtæ, quibus abundant Arabes. verùm ſic hæc poetica diſcipulus intelligit, vt carmen Ennianum Thomiſta, qui poſt Alexandrum & Petrum Hiſpanum, ſtatim lectitat ſcholaſticos. Quare crebrò rideo nonnullos qui me inuiſunt, qui cùm ſint inſignes Grammatici, tamen ſubinde minus me intelligunt: Arma virũq; cano Troiæ qui primus ab oris. tantùm ſpectant cur verſus in gloſſematis citetur, nempe, ab oris, abeſt præpoſitio ablatiui caſus. Quid inquam? nónne vos eſtis Arabici? Reſpondent id pertinere ad amatores bonarum literarũ. Itaque Arabicum ſcholaſticum norunt, non Latinum armatum: præter vnum atque alterum Latomum vel Dorpium. Quare paucos reperias, qui exactè & purè loquantur: nam & ſi Alcoraniſtæ ſint, & is liber ſit ſtylo elegantiſsimo compoſitus, tamen contenti ſunt memoria, & magis religionis gratia diſcũt Alcoranum, quàm vt eum curent intelligere. Siquidem dogmata ſuæ religionis iam ex aliis libellis norunt, vt Ethica nouit Thomiſta, qui tamen nõ legerit ipſum Ariſtotelem: in ſumma totus orbis inter ſe conſentit, vt homines magis rerum velint cognitionem, quàm verborum. Sunt, vt dixi,

dixi, apud Arabes poëtæ quamplurimi, ſed pauci eos lectitant. Quando enim vocabulis vtuntur, quæ non paſsim ſint obuia in artium ſcriptoribus, velut ad aliud ſeculum & priſcum ab iſtis pertinere putantur. Omnia enim antiquare libenter volumus quæ non intelligimus. Eſt hîc quidam inter primos habitus, verſatus quondam in Aegypto, vbi Rhetoricam & politiores attigit literas, hoc nomine tamen leuior, quòd has guſtarit elegantias. Atque vt videas affines vbique eſſe hæreſibus, quotquot amant collegium trilingue hîc, Alphakius nuper fermè in periculum capitis venit, propterea quòd in ſcholis dixerit, neſcio, in quo auctore ſcriptum, non peccaſſe quidem vnquam Machometū: potuiſſe tamen eum admittere peccatulū veniale, præripiendo ſcilicet pomum puero per iocum, aut conſimili quadam via. Nam in grandioribus culpis, optime præceptor, nullū locum habet Machometus. Et quamuis decem ſeruiret vxoribus, nam tot ſimul habebat in matrimonio, fide tamen bona reddebat ſingulis debitum. quòd, vt meus docuit Magiſter, decem prophetarum virtutem fuerit ſortitus. Cumq́ue illi ſolenne eſſet, poſt vnamquamq; nocturnam ſalutationem ablui: rogatus, cur id faceret, reſpondit magis eſſe maſculū, & virtutem acuere. ne me putes iocari, ſeria ſcribo, ſerioq́ue decreui ætatem reliquam tradere huic linguæ, ſi fortè ſalutis ianua detur tot nationibus, quæ tam fœdis inuoluuntur erroribus. Scholæ ſunt in ipſis templis, quò ſubire non poteſt vel Chriſtianus, vel Iudæus. Tabernæ librariæ non habentur Feſæ, cùm ſint tam multi literarū ſtudioſi: cæterùm die Veneris ſingulis hebdomadis peracta oratione, ad ſummū templum eſt librorū auctio. illuc cōueniunt quotquot empturiūt, aut vt ſic dicam, vendituriūt. Prodeūt autē fermè codices vetuſti pauci admodū, propterea ꝙ ab hinc annos ducētos refrixerit ſcriptorū induſtria & in deſidiā lapſi ſint Feſenſes. Eſtq́; hęc merx cara, ſtatimq́; ab omnibus magno precio rapitur. quòd ſi quis ſit auctor iuſtæ magnitudinis,

non

non eum reperies venalem, nisi per fragmenta: fortè tota vita non consequeris, aut Zemachserum, aut alium commentatorem Alcorani, sed nunc caput, nunc crus dimidiatum, nunc manus mutilas auctoris in foro conspicias, adeò vt sæpius idem cogaris emere, si totum postules, idque vix post multos annos. Præla ignorant. In hunc auctionis locum Christianis aut Iudæis licet intrare, vna tantùm lege, nempe, vt obruti saxis pereāt. tam religiosè suos codices inuident à religione Machometi alienis. Erant mihi cum Rege pacta quædam inita de auehendis hinc libris, sed didici re ipsa quid sit fides Punica. Quanquam non tam Regem accusare possem, quàm alium quendam bipedem, cuius perfidia multis molestiis hoc anno sum exagitatus. Verùm de hoc monstro Africano coràm, si me Deus reducem fecerit. Nam si remedia quæ aduersus hanc pestem meditor non profuerint, sciet orbis vniuersus huius monstri virtutes, & omnium studiosorum diris obijcietur. Nam quantum in ipso fuit, effecit vt tam grauem profectionem quam pietatis causa suscepi, sine vllo fructu suscepisse videri possim, & in capitis præterea periculum, quærendis literis Arabicis peruenerim. Verùm Deus me seruat, & quotidie hoc monstrum magis explicat, artesque subministrat, quibus, vt spero, voti compos euadā. Eò mea spectat oratio, charissime præceptor, variis rationibus impediri mea consilia de constituenda pugna Machometica. Cæterùm quando iam stat sententia in hac Theologica palæstra vitam finire, Deo fauente, eluctabor. Nec vlla re destituar, quæ faciat ad docendas feliciter has literas, vt multi & loquamur, & scribamus Arabicè; si non stylo poëtico, saltem scholastico, quem postulat disputatio. Satis est prolixa epistola, tamen multò volebam fieri longior, & de variis rebus fabulari. Sed reseruemus omnia in aduentum, vt saltem lucrifaciamus aliquot prandia, commemorandis mendaciis. Vnum tacere non licet: scilicet vt rideas, si non mentitur Machometus, non frustra pro-

fectus

fectus sum in Africam. Ipsum ipsissimum vidi Machometum, anno superiore Idibus Decembris. Dabo testimonium locupletissimum: nactus sum libellum perquam exiguum, in quo depingitur sic exactè paracletus Arabicus (nam hic est Machometus) & sic à capite ad calcem vsque diligenter describitur, vt etiam quot habuerit iste propheta canos, memoriæ cõsecrauerit scriptor sempiternæ, citato auctore qui in capite & pariter barba Machometi, nõ numerauerit ad summũ nisi quatuordecim pilos candidos. Quid quæso censes? Nónne qui istas psequitur minutias, meritò credẽdus est verũ dicere? Eo igitur in libello nominatis iis, qui viuã vocẽ audierint, sic de sese testatur Machometus لا يتمثل بي
من رآني في المنام فقد رآني الشيطان quorum verborum est hæc sententia: Quisquis me in somnio viderit, reuera me vidit: nam Sathanás non sese offert in mea specie: Idibus, inquam, Decẽbris nocte intempesta somniaui me videre Machometum, prosilientem è ventre canis, & quidem probè alatum, adeò vt stridore pennarum, me continuò expergefaceret. Consequens est, vt ipsum viderim Machometum, per locum ab auctoritate, vt loquuntur Dialectici: Talem autem ac tantum prophetam mentiri nefas est, quod etiam à venialibus peccatis fuerit alienus: nec est in Machometi verbo vox vlla, quæ ironiam indicet, vt possis colligere mendacium iocosum, quod an cadat in Machometum sic videto. Anicula quædam eius aduoluta pedibus orabat, vt precibus illius Deo commendaretur & donaretur municipio paradisi: ille blandè subridens, sic respondit: لا تدخل الجنة العجز hoc est: Non intrat anus paradisum: cœpitque protinus plorare vetula, haud dubiè desperatione conficienda, nisi subuenisset color Rhetoricus, qui illis dicitur توجيه tam familiaris Machometo, vt nihil suprà. Quid mihi, inquis, cum tuis somniis, & quis vnquam audiuit volucrem progigni canibus? Memento prouerbij: Semper

D aliquid

aliquid noui affert Africa. Verùm,mi Latome, vt nullà terra tam est noxiis herbis, in qua non aliqua parte naturæ bonitas conspiciatur: sic gens ista Machometica fœdis & execrandis erroribus dementata, Deo maximas debet gratias, quòd libera sit à duplici tyrannide Sanicidarum,& Causificorum. Vitales sunt vt nos, & longius etiam vitam prorogant: cumque sint fermè L. millia familiarum, tamen nulli sunt aduocati,procuratores, sollicitatores, & id genus homines. Si quæ sint controuersiæ, quæ fermè incidunt, ob matrimonia, & diuortia: nam vxores licet ducere quatuor, & eas pro arbitratu dimittere soluta dote. Viri enim velut emunt vxores quibus vbi potiti fuerint,nulla de causa possunt eas abigere, modò statutam summam persoluerint. Præter vxores, ancillas seruas emunt, quotquot possunt alere: hæ sunt concubinæ licitæ, & vt vxores permissæ: Puto Regi esse supra ducentas, adeò vt videatur Pater in monasterio monialium. Sed vt cœpi dicere, si quæ oriantur controuersiæ, fermè huius rei causa contingunt. Nec tamen pro Helena confligitur bello decennali: nec pro Beginis litigat Clenardus octo annos: verùm vtraq; pars iudicem adit, is momento temporis rem transigit, nec sciunt quid sit sentētia interlocutoria, quid appellatio, & huiusmodi lacrymosa mihi quondam vocabula: vbiq; est sentētia definitiua,& fermè lis sopita est, antequam contestata. De morbis verò mihi videntur reperisse, quod Sophistę Parisienses; nam vt illi nobis quondam ediderunt argumenta quædam communia, quibus instructus disputes in Theologia, in Medicina,& breuiter omni loco: sic isti quocunq; morbo correpti fuerint, longū valere iussis omnibus Medicis, flammis adurunt vmbilicum, & eas ventris partes: nec opus habent alio pharmaco, nisi quòd nuper verū fuit illud: Honos alit artes. Siquidem nescio quis medicus in morbo cuiusdam è proceribus prædam abstulit, cœperuntq; multi lectitare Auicēnam, qui hic fermè in obliuionem abierat. Sed vt ad causificos redeam, si qui

Bacca-

Baccalaurij litibus implicati ſunt, quo minus frequententent diſputationes Theologicas, mittant ad me proceſſum, vnica audientia ponam eos in poſſeſsionem. Multa & alia cóſpicio inter Machometiſtas, & in primis illud Euágelicũ, vt nõ multũ ſolliciti ſint de craſtino. Quin & illud non parui eſt mométi, quòd nullus tam durus caſus eis cõtingit, vt fracti impatientia, redigãtur in blaſphemias: id quod latè patet in quibuſdam regionibus. Verùm quicquid euenerit, non ſtomachantur vt aurigę & nautæ, ſed illud habẽt in ore الحمد لله hoc eſt, laus Deo. Quo magis dolenda eſt harum nationum iactura, quòd homines alioqui ſatis pij, tam turpibus opinionibus à Chriſto ſint abſtracti, non alia cauſa, niſi quòd Machometũ credunt fuiſſe verũ prophetam, qui in Alcorano vt trinitatem negat, ſic penitus tollit noſtræ religionis fundamentũ. Negat Chriſtum à Iudæis crucifixum, negat eum Redemptorem humani generis. Atq; hæc cùm aſſeuerent, aiunt ſeſe credere Euangelio & veteri Teſtamento: Verùm & nos, & Iudæos iam non habere libros incorruptos. Hîc eſt diſputationis cardo: vtinam, mi præceptor, inueniã qui partẽ laboris mecũ velint pariter amplecti. Omnes aliæ diſciplinæ ſuos habent cultores. qui hanc viam ſequeretur, quam ego cõcepi, nemo, vt puto, hactenus extitit, & eſt tamẽ aliquid ſtylo cõtra Machometiſtas pugnare. Nec deterrere nos debet, quòd nouẽ ſeculis hæc ſecta durauit. Veritas nõ eſt obnoxia temporũ iniuriis, tam aliena ab iſto damno, vt etiam filia dicatur temporis. Gloriam Creatoris quondã tot annos oblitauerat antiquus hoſtis, & tamẽ Apoſtolicis auſpiciis cõditor orbis decus ſuum ſibi potenter arrogauit, profligata tot idolorũ ſpurcitia. Rurſum exorſus eſt hoſtis, & grauis orbis incubator Machometus: reparatorẽ humani generis obſcurauit. Nõ eſt infirmior cõditore reparator: Proinde ſpes eſt, vt gẽs iſta in viam aliquando redeat. quod & olim facile fuerat, ſi recta via reſtitiſſent hactenus noſtri maiores, &

tam ſtuduiſſent bellum gerere cum Numa, quàm capiunt libenter arma aduerſus Tullum: dicam id clarius. Numa conficto congreſſu cum Dea Aegeria populum continuit. Tullus vim omnem poſuit in armis: vtrumq; Machometus expreſsit. Nam primò nouas leges, quas ſtupidis ea tempeſtate Arabibus impoſuit, ad Gabrielem Angelum referebat, quo monitore, ſeſe omnia mētiebatur gerere: deinde poſtquam fraus in ſuſpicionem venit, præſertim ob Iudæos circa Meccam incolentes, quibus odorandi naſus nō deerat: robur induit Tullianum, & quos arte capere nō poterat, viribus in nouum dogma ſubiugauit, atque ita deinceps propagata eſt hæreſis, iacto quidem dolis fundamento, gladiis tamen poſtea ſic prolata imperio, vt victoriis fermè mundum occupauerit vniuerſum: quid enim eſt hodie Chriſtianiſmus, ſi ſpectes gentes Machometi? nimirum quòd olim Iudæa comparata mundo reliquo. Quare formidandus eſt Cæſari Turca par armis, aut etiam potentior: Nam Tullus creſcere poterat, Numa verò cum iſto ſuo perſonato Gabriele, tam eſt & hodie futilis, quàm cùm vno fugeret comite Abubecrin, eo qui poſtea bellum geſsit cum Heracleo: nec enim ſecula multa naturam mendacij mutare potuerunt. Non eſt hæreſis eius generis, vt numero creſcat hæreticorum: & quamuis vno vel fortiſsimo milite proſtrato, non continuò tota labeſcit acies, tamen ſi verè concidit vnus Arrianus, actum eſt de vniuerſa caterua: itaque tam ſumus hodie potentes aduerſus Machometicum Gabrielem, quàm eramus initio creſcentis dogmatis. Quòd ſi maiores noſtros turpiter ceſſaſſe credimus, idem crimen in nobis quoq; hæreat neceſſe eſt. Et quia ſine linguarum præſidio bellum iſtud geri non poteſt, fortè in ſeculum hoc noſtrum dilatum eſt, quod iam cæteris linguis floret, præter vnam Arabicam: nimirum vt nouæ profeſsionis auctor Antimachometus mortem oppetat, inter Machometiſtas. De quo libet mihi referre fabulam, imò hiſtoriam, poſtea claudam epiſtolam. Initio

aduen-

aduentus mei, varij sermones de me habiti fuerãt. Nouum enim visum est me discendæ linguæ gratia talem suscepisse profectionem, quare Alphakij quidam ex istis sanctioribus, hoc est, qui religionis ergo viserint Meccam, mistis inter se in conuentu secretiore colloquiis, aiebant in suis esse codicibus, venturum aliquando in hanc regionem hominem procera statura, è procul dissitis populis, eum aduersus Machometum venturum, & totam hanc barbariem peragraturum, omniaq; lustraturum perquirendis codicibus, ac postremò eum periturum Marochij, quæ ciuitas hinc distat centum leucis. Seruus Christianus in ædibus heri hæc subauscultauit: nam ibi erat sanctulorum senatulus, remque ad cæteros seruos Regis detulit. quam cùm audissem, quid nisi riderem? Iussi tamen vt amicus quidam hunc seruum adiret & seriò rogaret: constanter affirmabat hæc sic gesta fuisse. Verùm, inquit, hic dominus (me volebat) est sacerdos? est, inquit, meus amicus; nõ, inquit, ipse fuerit: Nam dicebant esse prophetam: scilicet propheta & sacerdos in eundem non cadunt. Et ego liberatus sum à saxis Marochianis, non tamen moriar nisi Antimachometus. Bene vale, colende præceptor, cum omnibus magistris nostris: vestris omnium precibus me commendo, vt aliquando saluus dulce videam Louanium. Putabam me triennio tantùm abfuturum, at nonus agitur annus exilij, & nescio quò me iactat literarum amor. Nunc tamen decreui, nullam occasionem admittere, quæ me diutius diuellat à patria. Satis peregrinatum est, & alioqui domum me reuocat canicies. Vtinam vos omnes saluos videam incolumis. Saluto omnes magistros nostros, vniuersam tuam familiam, cum sorore & Latomo iuniore, cumque amicis reliquis. Noua de bellis nihil ad Brabantinos: neque enim strepitum armorum audietis, alius est exercitus quem Deus his regionibus immisit: paucis ante diebus Fesæ vidisses cælum obductum locustarum agminibus, quæ hic non solùm saltant, sed auium ritu volitant. Iam

coràm video minas priorum prophetarum. Multis in locis nocte vna sata perdunt vniuersa, bellum strennuè cum iis gerunt rustici. Nam plaustra plena locustis aduehunt Fesam. Nam hos hostes vulgò hic comedunt. Ego tamen sum tam delicatus, vt malim perdicem vnã, quàm locustas viginti. Iam anni sunt viginti, quòd totam hanc regionem gens locustica deuorauit. Ministrum misi nuper in Lusitaniam, & paucos pòst dies eũ expecto, tũ, Deo propitio, hinc proficiscar Granatam, quæ non distat nisi LXXX. leucis. Inde totidem sunt in Lusitaniam. Hinc rectà ad vos. Tantùm orate vt me Deus custodiat, & si malus sim eques, non tamen pluris facio duodecim dierum iter, quàm vehi plaustro Diestensi. Rursum vale, mi præceptor, & longam fabulam boni consule, pensandũ erat longius silentium epistola prolixiore. Fesæ, IX. Aprilis, Anno M. D. XLI.

NICOLAVS CLENARDVS FRANCISCO HOVERIO SVO, S. D.

CASVM illorum dolui vehementer, tamẽ satis præmonui alterũ qui totum perdidit præter penulam. Illi ad me ne literam quidẽ vnam. Tu solus literas mittis, nam & Lodouicus meus & tuus tacere meditatur; sed negotiis condonandum est. Ago gratias quòd meo nomine partem practices tuæ iam exercueris: si opus erit, mittam hinc. Tamen spero aliquid istic mihi fiet, in tanta librorũ copia. Et alioqui nouos hinc propediem libellos accipietis, inde aliquid contrahetur nummorum. Sumus impressuri meditationes Græcanicas, libellũ vtilem iis qui per sese & suopte marte Græcas literas discere coguntur. Continet codices sedecim, spero multi inde fructum percipient, non quidem prouectiores in iis literis, sed rudimentarij, quibus iam cogor seruire propter nouam hanc curam professionum, & mihi molestum est semper elementari, ideoque visum fuit, libellum aliquem Græcum per singulas minutias

excu-

excutere, more docentis prima rudimenta. Quem morem quantum potui in hoc libello ſum imitatus, nam planè pueros doceo, ideoque quemadmodum alij libros, ſic forſitan poſthac Profeſſorem Græcum editurus ſum: hoc enim in animo habeo, vt ipſum excudamus Profeſſorem, quò poſsint ſinguli paucis ſtuferis Magiſtrum habere in manica, vt tandem cogantur Græcari vel noſtri hoſtes. Bene vale Houeri, & nos ama.

NICOLAVS CLENARDVS FRANCISCO HOVERIO SVO, S. D.

ACCEPI heri, hoc eſt, vigeſima Octobris, epiſtolam tuam, quam ſcripſiſti decimatertia Octobris, nec vllam vidi præterea. Miſi autem ad te literas, itemque ad multos in Brabantia, ſed ſuſpicor, imò ſcio, redditas non eſſe, nam idem conqueſtus eſt Latomus, à quo heri epiſtolam accepi, in qua ſuadet, vt hyemem agam Pariſijs, id quod omnino cuperem, ſi ſalua liceret conditione Louanienſi. Non quin meliorem hic poſsim obtinere: quotidie enim mihi longè præſtantiores offeruntur, ſed quia libenter viuo Louanij. Cæterùm quid futurum ſit, neſcio. Omnia enim hic per gratiam Dei mihi ſupra votum ſucceſſerunt; & cælum, & hominum mores perplacent. Doctorum hic magna copia: & mihi vtile fuerit, ſi detur diutiùs morari: Victum emi quinquaginta coronatis. Diſcipulum accepi mecum nepotem Latomi: is numerat triginta coronatos: quo etiam tanquam vtor interprete in Gallicis. Sed vnde iſti puero ſuppetent tot pecuniæ? Vin ſcire? Iſtic florenos expenditis, & item lucramini: hic coronamus, & viciſsim coronamur. Commodùm aduecta erant exemplaria Græca & Hebræa, ex noſtris nugis: Me præſente effectú eſt vt tot libri ſint venditi, ne ſi cætera deſint, hyeme fames nō ſit nos cruciatura. Heri rurſum abſolutę ſunt inſtitutiones

dicatæ Houerio, typis excusæ Colinæi, nam C C C C C. exemplaria his diebus omnia sunt diuendita: Hebraica autem suprà trecenta. Incipiunt enim hîc fortiter Græcari & Hebraicari. Si famulum hîc susceperis, periculũ est, ne incidas in furacem: si isthinc quempiam adduxeris, plus habebis curarum: nec eum tam poteris liberè ablegare. Vide vtrum malis. Quòd res meas tibi cordi futuras dicis, id vel sine literarum testimonio sciueram probè. Sed vides quàm adhuc fluctuem, & tamen magis me suspicor hîc diutius moraturum, quàm reditu-rum. Sumus in manu Dei. Domini est terra & plenitudo eius: & vbique viuere possunt Christiani, aut certè mori. Bene vale, charissime Houeri. Parisiis è domo Lodo. Cyanij.

NICOLAVS CLENARDVS FRANCISCO HOVERIO SVO, S. D.

ITANE, charissime Houeri, tibi visum est redire in patriam, priusquam diuitias degustasses Lusitanicas? Saltem partem lustrasses Hispaniæ, si nõ ob aliud, certè vt re ipsa disceres, quanta cõmoditas sit in diuersoriis. Accepi modò literas à Damiano, simulque à Ioachimo, aiunt ad te missam epistolam, in qua propheticum Damiani oraculum satis apertè narrare mihi visus sum. Sapies spero, ne ciocos nostros sic effutias, vt mihi fraudi sit. Non enim gentem traducimus, sed modis omnibus amicum vindicamus a mendacio. Lacrymas tenere nõ potui, cùm certò Damianus Erasmi mortem obnunciaret. Vtinam licuisset tantisper viuere, donec operibus limam adhibuisset: nam ea gratia senem concessisse intellexeram Basileam. Sed maiorum virium est, mortem viri, iustis lamentis, & veris encomiis prosequi. Ego tecum dicam, Deus illius cleméter misereatur. Dicit Polites te piscatum Romæ, & in nauicula Petri grandem cepisse piscem. Facias me certiorem, num & meus ha-

mus

mus illic valeat. Quid autem? vidiſtíne Romę Campenſem? quid accidit homini, quod tam ſuperbè ſilentium agat? prouocatus à me ante biennium, necdum reſpondit. Conqueritur eadem de cauſa Polites noſter. An iam eſt ſemicardinalis? nullísne Arabicātibus locus eſt? An ſolis mercatoribus? Scripſit ad me quidam è Roma, plurimos illic eſſe ſanctiſsimos viros: & non admodum æquo animo tulit Mantuani diſtichon, quod in epiſtola ſic obiter adieceram, id erat huiuſmodi:

Viuere qui ſanctè cupitis, diſcedite Roma.
Omnia cùm liceant, non licet eſſe bonum.

Rogo te, quemadmodum ego commentarium ſcripſi in Elogium Damiani, ſic tu, qui in rem præſentem adiiſti, iſtos Mantuani verſiculos bona fide mihi explanes. Facilè diuinarem, quid ſis allaturus, poſſemq; opinionem tuam altero diſticho comprehendere:

Quiſquis opes ſacras nummo reperire prophano
Quærit, eat Romam, ſacra ſunt venalia Romæ.

At malim tuam enarrationem audire: Facilè fides abrogatur auribus, teſtes grauiſsimi ſunt oculi. Tuum igitur erit interpretem agere Mantuani: fieri enim poteſt, vt illud diſtichon hodie Romani refellant. Nam & hîc Archiepiſcopus quidam, cùm in huiuſmodi confabulationem incidiſſemus, & ille mirificè Romanos laudibus veheret; omnino mendax carmen aſſeuerabat, multumq; contendebat, meliores hodie mores eſſe, quàm antea: mirificeq; prædicabat virtutem Clementis VII. quo neminem Chriſtianiùs mortuum eſſe volebat. Tu fortaſsè Paulum III. in cælum vehes, cuius auſpiciis hamum moderatus es, proptereà quòd optimè regat Eccleſiam Dei, qui antea domui ſuæ bonam curam impenderit: Certè Paſquillus noſter principiò pronunciabat: Laudate pueri Dominum: & nunc Ioachimus ad me miſit Pauli III. conuerſionem, ab eodem Paſquillo nuper editam. Quæ omnia timidum me reddunt, vt verear certò de incompertis ſtatuere. Nam & hic Archiepiſcopus quē dixi, religioſioris vitæ, hoc argumē-

tum attulit, quod se auctore factum esset, vt iam Cardinales, candido illo amiculo, etiam in propatulo vterentur. Et profectò minister liquidò confirmabat: se enim operam dedisse cuidam illic ex primariis Galeratis, qui ob hoc solùm seriùs Pontificis conclaue ingressus fuerit, quòd nemo omnium assectarum rationem nouisset induendi superpellicij, sic enim vos vocatis, vt puto. Quid? nónne magnũ religionis specimen? Quòd si è barba quoque philosophiam metiamur, puto Stoicos planè iurabis istos superpelliciatos. Serio ac vero vultu familiaris huius nostri Archiepiscopi nobis prandentibus narrabat, ipsi esse supra quinquaginta superpellicia. Pape, si vnus qui necdum Cardinalis erat, plus religionis in vna arca conclusum tenebat, quàm vniuersum tuum Capitulum: quid, Houeri, censendum est de toto Cardinalium cœtu? Nisi mihi fermè plaustrum integrum epistolarum scribendum esset, nónne multum in hac materia suppeteret quod tecum dissererem? Nam & satis liberè cum Archiepiscopo fabulatus sum, & ex eius colloquio paucisque conclusionibus, tot possim inferre corolaria, vt ne Sophistæ quidem Parisienses me in copia vincerent. Dabis igitur veniam necessitati, & vicissim isthinc aliquid rescribes, quod ad sensum Mantuani faciat. Vale, mi Houeri. Salutabis ex me D. Craneueldium. Eboræ, Anno M. D. XXXVI. XVIII. Calend. Ianuarias.

NICOLAVS CLENARDVS FRANCISCO HOVERIO, S. D.

NE putes te solùm expeditum cursorem. audi quàm sim mutatus à sedentario Clenardo. Aestate proxima profectus sum ab Ebora Braccaram. Iter est LX. leucarum. Leucas vocant, quales numeramus à Mechlinia Louanium quatuor: Deinde confectis leucis XXX. inuisi diuum Iacobum Compostellanum. Inde eadem via reuersus Braccaram, cum principe meo

quædam habui conſilia de noua hîc inſtituenda ſchola. Quid multis? proficiſcor Salmanticam, iter L. leucarũ, vbi re ex animi mei ſententia tranſacta cum Vaſæo, duco eum Conimbricam, leucæ ſunt XL. vbi ſalutauit principem meum. Deinde proficiſcimur Braccaram, iter eſt leucarũ XXVI. Quid tibi videor Houeri? Quin & parum abfuit, quin ante menſes aliquot profectionem ſuſceperim Hiſpalim & Granatam. Itaque Vaſæus quem comitem profectionis meæ ceperam, poſt menſes aliquot cum tota familia venturus eſt Braccaram, vt præſit ſcholæ nouæ: ſtipendium eſt in annos ſingulos, centum millia nummûm, id eſt, CCC. ducati. Credo non infeliciter mecum iuit in Hiſpanias. Ego interim in gratiam mei principis hîc molior ſcholæ fundamenta: poſt menſes aliquot, vt ſpero, ad vos venturus; nam niſi hæc res interueniſſet, nunc venturus fueram. Oro te per omnem noſtram amicitiam, vt diligentiam & curam impendas in fratrem Sebaſtiani Macedonis. Is mihi apud principem amicus eſt ſummus, quouis in loco paratus. Bene vale, mi Houeri, & diſcipulum tuum ex me ſaluta, & ſimul ora Deum, vt ſaluũ me ex præſenti reducat exilio. Braccaræ XXVII. Februarij, Anno M. D. XXXVIII.

NICOLAVS CLENARDVS FRANCISCO HOVERIO, S. D.

AN tam iſthic, Houeri chariſsime, fructũ, vt ais, facturus ſim, quàm inter Luſitanos, id equidẽ ignoro: Vnum ſcio me nulla deinceps ratione adigi poſſe, vt præſens continuẽ exiliũ. patriam dies ac noctes ſomnio, iam ſum Louanij, iam Mechliniæ, iam tecũ nugor, iam cum meo Latomo. Vtinam tam diu liceat viuere. Proximo vere certum eſt redire, ſi Deus permiſerit. orationibus tuis me iuua, vt meis ſaluus reſtituar. Ais te intellexiſſe quandam deſiderio teneri aduentus noſtri.

Houeri

Houeri principem vnum nactus ſum, quem ſolum & præſens colui, & abſens colam dum viuam. A quo multæ Salmanticenſium literæ me hactenus auellere non potuerunt, non proceres alij benè diuites. Si liberet diutius aulicari & carere patria, nullam aulam præferrem Luſitanicæ: Sed iam capite cani ſparguntur, & inter meos ſepelire geſtio, nō omnino malam, vt credo, ſortitus patriam. Quid enim dulcius Louanio? Tempus eſt vt mihi iam viuam ſiue diues, ſiue pauper, nihil intereſt. Valeant qui craſtina curant: Adhuc antiquum obtineo: Fiat voluntas Dei. De Emanuele vide num conſultum eſſet eum quamprimum audire Louanij Dialecticam. Cùm enim placeat Theologia, præſtat opinor, vt vulgato more capiat inſignia, ac poſsit poſt aliquot annos huc redire, aut Baccalaureus, aut Licētiatus, & ſuis, & principi, tum honori, tum eſſe vſui. Et meo iudicio, primum eſt non temerè facere temporis iacturam. Poterit ille nunc audire Dialecticam, vt ab hinc tres annos ſit Magiſter in artibus. Latinas enim literas magis ac magis vſu quotidiano addiſcet; nec grādem oratorem requirit hæc ſcholaſtica Theologia. Vt omittam quod horis ſucceſsiuis multum Latinis queat addere, vt eſt benè ſtudioſus. Bene vale, mi Houeri, & Deum ora pro me. Braccaræ IX. Septembris, Anno M. D. XXXVIII.

REVERENDO DOMINO ABBATI TONGELARENSI D. ARNOLDO STREYTERIO, NICOLAVS CLENARDVS S. D.

Alludit ad Ter. Andriā & Eunu. per ipſos olim actas. in hac Abbas Phædriæ, Clenar. Parmenonis: in illa Clenar. Simonis, Abbas Pāphili partes ſuſtinebat.

SOLENT, optime domine, ſerui fugitiui, cùm primùm ſe ab herorum conſpectu ſubmouerint, cōtumaciter ferocire, & prioris neceſsitudinis vincula penitus obliuiſci. Verùm poſtquam tandem malis docti ad ſeſe redierunt, placare ſtudent, quem offenderint. Nimirum hic ego ſum Parmeno (non enim D. T. noſtram

ſtram ignorat adoleſcentiam) & multis iam annis contemnere ſum viſus meum Phædriam: cumque toto hoc exilio Hiſpanico crebrò cæteros amicos tam variis ſalutarim epiſtolis, adeò tamen in Pamphilum ſęuiuit Simo (nam & hoc inter nos interceſsit) vt nullus hactenus Crito ſit oblatus, qui me tecum reduceret in gratiam. Agnoſco culpam, & tuis ad me quondam verbis vtor. Tibi pater here me dedo, quiduis oneris impone, impera, venit tempus vt fugæ pœniteat, & iſthuc redire cupiam. Oro atque obſecro, vt præteriti temporis culpam aliquo me ſinas ſupplicio delere: & quando ita res tulit, vt ius paternum contra te tueri nō potuerim, ſed in ſeruum redactus fuerim, vſurpato poteſtatem domini in pœnitentem Parmenonem. Atque hæc hactenus.

NONVS iam agitur annus, quòd deceſsi è Brabantia, quo interuallo vt vixerim, & quibus ſtudiis detentus fuerim, ſpero (Deo propitio) coràm narrabo. Nuper verò cùm relicta Braccara, me adornaſſem ad reditum, ſumpſi mihi trimeſtre peragrandis aliquot vrbibus Hiſpaniæ, ſi fortè in quempiam inciderem, cum quo miſcerem colloquium de literis Arabicis, quas hactenus è libris tantum hauſeram: eratque propoſitum rectà contendere Cæſarauguſtam, vbi in vinculis haberi hominem audiueram, iſtarum literarum peritum: ſed Conimbricæ mutato conſilio, deflexi Hiſpalim, & bona quadam fortuna nactus ſum ſeruum mediocriter doctum, è præda Tunenſi: eo poſtquam octo diebus vſus fuiſſem, repentè præceptore ſum deſtitutus: nam allata redemptione, liber abiit in Africam. Ego inde veni Granatam, & ſtatim de me factus eſt certior Marchio Mondeiaranus, qui vrbi præeſt, & vniuerſo regno Granatenſi, vir & literis eruditus, & bellicis rebus clarus. Nā magiſter equitum fuit in expeditione Tunetis, glorioſis acceptis vulneribus. Huius beneficio conſecutus ſum virum Arabicè doctiſsimum, quo illic ſic vſus ſum, vt partim me doceret, partim mihi ſeruiret deſcriben-

dis libris Arabicis : & ego interim bonam quoque diei partē tribuebam Marchioni in literis Græcis: quas vnà cū filio annos nato XXVIII. tam ardenter amplexus est, vt nunquam plebeiorum filios tam viderim studiosos. Itaque partim præceptorem egi Granatæ, partim discipulū. Cumq; cœpissem legere Alcoranum Arabicum, & sensim è præceptore discerem, quàm fœdis erroribus inuolueretur gens Machometi, siue temerè in mentem venit; siue Deus hunc me voluit suscipere laborem, statui relictis omnibus aliis curis, & posthabitis linguis cæteris, quicquid ętatis mihi Deus fecerit reliquum, totū consecrare studiis Arabicis, nec conquiescere, donec & lingua & calamo tam sim promptus, vt cum Machometistis vtraque parte possim confligere. Quod & ea quoque causa mihi magis probatur, quòd nullum possim meliorem fructum è linguarum studio reportare, quàm si eas commodem pietati & religioni nostræ iuuandæ, seruire faciam. Neque verò nouam hanc professionem inuehere molior, vt prosim philosophis, aut repurgatior habeatur Auicenna: sed vt cognitis Machometicis superstitionibus, falsum dogma confutemus: & (si Christus adfuerit) aliquot è gentibus perditis, in salutis tramitem reuocemus. Valde enim dolendum est, nouem iam seculis regnare Machometum, & tot nationes à Christo discerptas à nobis negligi, & nullum interim exortum, qui bellum aduersus impiam sectam constitueret. Sanè non defuerunt apud nos, qui Latino mucrone superstitionem istam confoderent: sed quid quæso ad remotos Arabes, quid ad Persas, & Orientem vniuersum, si ego contra eos disputem sermone Latino? Sic arma capienda sunt, vt hostis vulnera sentiat. Hominibus doctis Arabicè nobis opus est, alioqui aduersus hanc hæresim pugnare non licet. Neque enim Arabismum intelligo, qui vulgò est vernaculus; quemque ego discere non laboro: sed eam linguam quæro, qua cōscriptus est Alcoranus, & cæteri codices, in quibus continentur Machometica dogmata.

dogmata. Omitto quæ fortè D. T. cogitat de nouo hoc meo proposito. Nam, vt spero, doctis hominibus sententiam meam probabo: tantùm in præsentia volui significare, quid moliar, & in quo senectutem statuerim finire. Itaque cùm hæc concepissem consilia, & videbam rem vtilem esse, & fieri facile posse, vnũ incommodũ erat, quòd nõ haberem librorũ copiam: nam omnia huius sectæ mysteria sunt excutienda, & perscrutãdæ rationes vniuersæ, quibus ista gens stet cõtra Euangeliũ. Siquidem cum spe victoriæ pugnandũ est aduersus hæreticos, aut à prælio supersedendũ. Et quemadmodũ malus aduocatus causam perdit, sic vulgares isti & triuiales cõcionatores sæpenumerò concionẽ habent cõtra hæreticos, & eos imprudẽter adiuuãt. Quid facerẽ? gestiebam redire in patriam, gestiebam consilia mea prosequi: vicit ea pars, quę mihi prorogaret exiliũ: & quamuis molestam adirem peregrinationem, tamen desideriũ patriæ leue duxi, modò instructior redderer ad pugnam Antimachometicam. Ne multa, profectus sum in Africam, traiectoq; freto Herculeo, quarta Maij anno superiore ingressus sum Fesam, in qua vrbe hodie præcipuè feruet Machometus, suntq; docti quãplurimi, & ingens librorum copia. At magni laboris est hîc aut emere codices, quòd nullæ sint tabernæ librariæ, aut hinc istas merces auehere. Conueneram cum Rege de auehendis hinc libris: at monstrũ quoddam hîc repperi, quod quantũ in ipso fuit, me in periculum capitis adduxit, & omnibus modis anno me turbauit integro. Quòd si vulgus hominũ resciret, quo animo in hanc regionẽ peruenerim, nimirũ me lapidibus obruerẽt. Ego sic me gero, ne vllã vmbram consiliorũ meorũ præbeã: omnes disputandi ansas præcido, quę multæ offerũtur: seduloq; quęrũt & curiosè rogãt, cur linguã velim Arabicã: aio me cæteras linguas didicisse: defuisse hãc Arabicam. In quẽ, inquiũt, vsum? Est, inquio, apud Christianos solẽne, docere Gręcas & Hebræas literas, volo adijcere Arabicas: nã est apud nos Auicẽna, est Auerrois, &

multi

multi item auctores, non ſatis fideliter verſi in Latinū: quòd ſi calleremus linguam Arabicam, rectiùs iſtos auctores perciperemus. Hæc ſic publicè, tantumque eos codices nomino, in quibus res eſt Grammatica, & cognitio vocabulorum. Priuatim verò, & clàm corruptis aliquot pecunia, ſcriptores quæro, in quibus iſta hæreſis cōſiſtit: & magnum hoc anno laborem pertuli, adeò difficile eſt hic parare ſupellectilem librariam: tamen ſi me Deus viuum reſtituerit patriæ; nihil deerit quod faciat ad proſequenda mea cōſilia, modò dominus Abbas in piam hanc charitatem operam ſuam præbuerit. Vides opinor eò paulatim labi orationem, vt niſi ſeruus domino ſuo indigeret, non ſcripturus fuerit hanc epiſtolam: ſed ad rem. Audio in Brabantia, & ceteris illis regionibus Cæſaris extra Hiſpaniam non poſſe haberi ſeruos, ſed ſtatim eos fieri liberos, inuito domino: id quod ſi verum eſt, neſcio an ego vnquam ſim rediturus ad vos: quamuis enim iam ea mihi huius linguæ ſunt iacta fundamenta, vt poſsim prouinciam ſuſtinere docentis, ægrè tamen procedēt mea conſilia, niſi intra domeſticos parietes mecum habeam hominem Machometiſtam, ſiue ſeruum, ſiue liberum, cum quo ſermonem miſceam quotidie, & lectitem. Neque enim iam deinceps pergo in ſtudio Arabico, vt adoleſcentibus nouam hanc linguam obiiciam: ſed vt & ipſe, & alij mecum, ſi qui exemplum imitari velint, ſic Arabicentur, vt aliquando pugnent contra Machometū. Id quod ita demum feliciter procedat, ſi mihi liceat ſtudiorum gratia domi habere ſeruos, vt in Hiſpania mos eſt. Quare, reuerende domine, humanitatē tuam oro, vt in aula apud ſororē Ceſaris, hoc mihi diploma cōſequaris, quo mihi liceat cuiuſuis conditionis homines alere, ſeruos, liberos, & Chriſtianos, & alienos à noſtra fide. Credo te vnum tantùm poſſe, vt non ſit opus aliis: tamen meritò me iuuaret dominus Ioannes Renes, nomine Frederici patris, piæ memoriæ: meritò etiam ſubueniret Princeps noſtrę ciuitatis Dieſtenſis, à cuius patre nomē

obtinue-

obtinueram Beginarium : ſed quia tam parum me iuuerunt in obtinendo iure, vt fugerem litem ſempiternam, veni in exilium iſtud fermè ſempiternum. Omnia prudentiæ tuæ committo, ſi dabitur occaſio, mea, & me viris illis commendabis, in quorum fermè conſpectu iam poſthac vita mihi reliqua peragenda eſt. De moribus Machometiſtarum ſcribere longũ eſt, & ſpero aliquando ex me coràm audies. Itaque omiſsis malis commemoremus bona: Feſa bipartita eſt: vrbs vetus populoſa eſt, ad L. millia familiarum, longoque tractu fermè ſemileucæ: porrecta eſt à meditullio in vrbem nouam, quæ foris ſita eſt, etiam ſuis cõcluſa mœnibus. Hic Rex viuit, & proceres aliqui, & populus item reliquus ad numerum iuſti oppidi: huic adiacet Iudęa, ſuis etiam ſepta muris: ſuntque hîc Iudæorum circiter IIII. millia. inter hos habito, propterea quòd nec in vrbe vetere, nec noua familiam auſim alere. Et quamuis Iudæi non minus oderunt Chriſtianos, quàm Machometiſtæ; minus tamen audent, quòd & ipſi ſoluant hic dirum tributum, idque ſingulis menſibus, adeò vt crebrò vicem illorum doleam. Quantum Regi opus eſt, tantum pendunt: quare fracti aduerſis rebus, ſic reddũtur ingenioſi, parandis quæ ſoluant Regi, vt nec Chriſtianus, nec Maurus poſsit quippiam aduerſus technas Iudaicas, quas facilè illis ignoſco: quomodo enim tributum graue ſoluant miſeri, niſi ſtrennuè furentur? Id malunt facere, quàm mori in carcere. Ego per Dei gratiam ſic me gero, vt nec Iudæos timeam, nec Mauros: vno tantùm cum monſtro mihi fuit res, cui acceptum fero, quicquid aduerſi mihi accidit in Africa. Id quale ſit, & quale ſit illud capitis periculum, aliquandò audies. Poteram agere in vrbe vetere inter noſtrates, hoc eſt, Chriſtianos mercatores, quibus locus eſt in ampla quadam domo, quæ vulgò dicitur Duana, ſed non poſſum Sacerdos tam tutò per vicos ingredi, vt mercatores cæteri: multis crebrò contumeliis per vias afficior, ſi quando hinc progredior in vrbem veterem, idque comite

quopiam cõducto è ſatellitibus regiis,qui me defendat ab iniuriis: hæc nimirum me dira manebant, quòd nimis multi ſunt iſthic cauſifici. Quanto feliciores ſunt Feſenſes? In tam vaſta vrbe, nullus eſt aduocatus,nullus procurator. Ad templa ſedent Alphakij, & domi præſtò eſt iudex, qui dicitur Alcadi. Si qua lis oritur, quod fermè accidit propter matrimonia, vtraque pars vel Alphakium adit,vel iudicem: & momento temporis finitur controuerſia. Quare, reuerende domine, ſi quos aduocatos velis caſtigare, quòd malè defenderint tuas decimas, mittantur huc Feſam, morientur fame, controuerſiarum inopia. Quin & doctor Zomerius hîc periclitaretur, etiam ſi noſſet Auicennam Arabicũ, adeò ſunt hi homines alieni à medicis, aut ſi velis Sanicidis:nam ſic appellantur in Luſitania.Didici adagium, quod non nouerat adagioſus Eraſmus: Opes perdunt Chriſtiani litigando, Iudæi conuiuiis feſtorum, Mauri celebrandis nuptiis: nam vt partem audias ſuperſtitionis, quiſquis ſimul poteſt ducere quaternas vxores, & præter eas,tot ancillas ſeruas, & velut vxores ſecundæ notæ quot poſsit emptas alere: vxores illas primarias abiiciunt pro arbitratu,& ſine vlla culpa fit diuortium, modò dotem certã initio pactam maritus dimiſſæ coniugi perſoluat. Ancillas verò vbi pro voto tractauerint, reuendũt,niſi ex eis liberos ſuſceperint. Quare quando tam inſtabilia hîc ſint matrimonia, non rarò exiſtũt controuerſiæ: verùm lis extincta eſt, fermè priuſquã ſit cõſtituta.Tẽpla multa ſunt Feſę,fermè CCC.LX.quàm plurima etiam balnea: crebrò enim gens iſta lauat, & multis item aquæ luſtrationibus vtitur,quæ res vel ſola poſsit Septentrionem defendere,quo minus amplectatur ſectam Machometicam,quanquam tamẽ ne id quidem obſtitit, quo minus & in ea parte dogma ſparſum ſit. Alphakij non ſunt multum faſtuoſi, etiam ſi ſint diuites, nec peccatum ducunt, ſine miniſtris per vias ingredi, fermè vt magiſtri noſtri Pariſienſes, habentes in manica Breuiarium, lutum in calceis. Bella ſunt hîc

vt

vt inter Chriſtianos. Seriphius Rex Marochij valde Fæſenſibus imminet. Nuper etiam nouus hoſtis exortus eſt, is qui ſororem huius Regis habet in matrimonio. Tertius hoſtis moleſtus eſt parti vtrique. Nam hoc anno nobis cum locuſtis res eſt, quæ multis in locis omnia ſata deuorant: vidiſſes nuper cælum totum obductum agminibus locuſtarum, vlciſcũtur ruſtici, vt poſſunt: nam ſaccos plenos locuſtis in foro venditãt. nam hoc genus hoſtium hîc mos eſt comedere. De diplomate parando, ſcripſi etiam ad præceptorem meum Iacobum Latomum: quare ſi fortè Louanij tibi fuerit negotium, rem cum eo poteris communicare, aut epiſtolam aliquam ad eum mittere: ei viam oſtendi, quà ſit mittendum ad me. Bene vale, reuerende domine, & prolixioribus literis da veniam. Feſæ XII. Aprilis, Anno M. D. XLI.

NICOLAVS CLENARDVS IOACHIMO POLITAE SVO, S. P. D.

SALVE Ioachime. Nihil peccatum eſt, nihil eſt quod tibi ignoſcam. Doleo rem non ita tuliſſe, vt tibi noſtræ literæ prodeſſe poſſent. Si quid eſt vbi putas me valere, vtere & abutere: nihil hîc cumulandum nobis eſt, quàm vt de proximis noſtris benè mereamur. Prodi in arenam; mihi crede, profeſsio facilè patronum conciliauerit. Inſtructus es iis dotibus, quæ non paſsim ſunt Pariſiis.

Ου τῶν τυχόντων λατινιστὶ φθέγγεσθαι ὅπου καὶ ἐν Λουτηκίᾳ οἱ ἐν τοῖς μάλιστα εὐδόκιμοι, ὅμως τὸν ἐπιχώριον λόγον τουτέστι τὸν γαλλικισμὸν, πάντοτε διὰ γλώσσης ἔχουσι, καὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα τοὺς ἡμετέρους ἀνθρώπους περιβλέπτους ἐκεῖ δείξασθαι φιλεῖ.

Nõ vulgariũ eſt Latine ſonare, vbi etiã qui Lutetiæ in primis clari habentur, linguam tamen vernaculam, hoc eſt, Gallicismum in ore habent. Ea res noſtrates homines ſpectabiles iſtic efficere ſolet.

Bene vale, mi Ioachime, & cogita te Biantem iſthic agere, vt omnia tua tecum te portare credas: perdidiſti fortunæ credita: quæ tibi labor peperit & virtus, perdere non potes. Louanij XXIII. Auguſti.

LITERATO VIRO IOACHIMO POLITAE AMICO SINGVLARI.

SEMPER tu quidẽ, Ioachime doctiſsime, literis tuis inſignem indolem teſtaris: nec vnquam deſinis eximium quendam erga me amorem oſtendere: quem etſi parum agnoſco vbi ſim meritus; magis tamẽ ob id pudore ſuffundor, quòd tot amantiſsimis epiſtolis tam malignè antehac reſponderim. In cauſa fuerunt partim mores mei, qui in conquirendis tabellariis, niſi vltrò ſeſe offerant, operam fermè nullam ponere conſueuerim: partim etiam penes te culpæ portio ſita eſt: qui cùm crebrò me appellares, & poſtremò tanquam conuiciis reſponſum flagitares; ita tamen rem attemperaſti, vt mihi ſcribendi locum nullum faceres, niſi literas in euentum incertum crederem. Vbi primum veniſſes Burdegaliam, & id Salmanticæ reſciſſem, iſtis videbaris auſpiciis reliquiſſe Lutetiam, tali profectus duce, vt ſedem ſtabilem augurari non liceret. Cumque ego tanta ſemper libertate decurram apud amicos, quàm ſum in ſcribendo facilis, tam ſum etiam in committendo faſciculo formidoloſus. Hæſiſti tamen opinione diutius in Aquitanico gymnaſio, nactus Gymnaſiarcham alterũ. Interim res meæ ſuſpenſæ eſſe cœperunt, & tandem in Luſitaniam redactus ſum: quocunque tamen vel loco, vel ſtatu conſtiterim, ſemper aduolabant literæ Ioachimi: nec puto vllas te dediſſe, quæ mihi non ſint redditæ. Cæterùm anno fermè priuſquam concederes in Italiam, mirificè mihi impoſuiſti. ſignificaueras neſcio quẽ adusque diem permanſurum in vetere domicilio: interim ſi quid vellem aut ad te, aut ad noſtrũ Houerium, per eundem ipſum mitterẽ tabellariũ. Feci quod iuſſeras, etſi hominẽ videre nõ licuerit: vix tandem intellexi quando ad vos rediret. at ſerũ mihi viſum eſt, nec poſſe ad tuam illam προθεσμίαν adeſſe. Quid agerem? literas ne mitterem Burdegaliam, vt inde perferrẽtur Patauium? conſultum potius erat apud me ſeruare meas nænias.

Ecce autem aliquot poſtea menſibus rurſus meus Polites profectionem ornat in Italiam, cùm ego quotidie literas expectarem è Patauio, quin & quaſi iſtic ageres D. Epiſcopi D. Marci Vigerij conſanguineos tibi commendaui: is dum hîc legatum ageret, tuas literas ad me vidit, ac ſummopere expetiuit, vt tibi ſuſcipiendæ conditionis auctor eſſem: at nihil, vt video, ad te perlatum eſt. Feci poſtea tui mentionem apud noſtrũ Damianũ, & amicum Goea muſis Goea muſarum comitem, cui carmina ſemper & citharæ cordi, numeroſque extendere neruis: licet enim mihi idem torquere in Goea, quod dixit Virgilius in Cretea. Si literæ meæ cauſam vllam dederunt, vt in humaniſsimi viri familiarem amicitiam venires, equidem gaudeo, non veſtri modò cauſa, verumetiam mei: ita enim futurum confido, vt poſthac crebrò de rebus tuis audiam: ſuſpicor tamen hic mihi nihil deberi, quando ille me tam diuturni accuſet ſilentij. Vtcunque ſit, bene cecidit, quòd tam inter nos coniuncti viuitis, animæ quales neque candidiores terra tulit, neque queis me ſit deuincior alter. Cur enim non vtar Horatio, cui ſic deditum eſſe Damianum ſcribit Houerius? Atque hactenus quidem de excuſando meo ſilentio ſatis multa: nam quòd mihi tãquam philoſopho materiam ſtyli exercendi videris proponere, ſatis (vt apertè dicam) addubito num me riſeris: quæ enim vlla charta vel ſani hominis ſpeciem præbuit, nedum vi & copia dicendi præditi? futiles iocos, & inania verba vt in calamum veniunt, pluſquam expedit effundere poſſumus: at ſerium argumentum tractare, quodque virum deſideret in diſciplinarum orbe perpolitum, non eſt meum Ioachime, nec vnquam tanto oneri pares humeros ſperaui: & vt fuiſſem ad eam literarum partem vel natura ſatis appoſitus, vel diligentia induſtriaque vtcunque adornatus; tamen poſteaquam in hac linguarum farragine iactari cœpi: & Siſyphi exemplo longi damnatus laboris, non vnum, ſed quinque ſaxa voluere, protinus & rerum cognitio euanuit,

& dictionis decor, si quis erat, periit. Hinc si quid expectes, rogabis quo pacto legant Hebræi, aut Chaldæi, quòd si Deus & Arabicam dederit bibliothecam aliquanto pleniorem, & sacris quoque instructam codicibus, tentabimus (si Deus permiserit insigniter desipere) & huiusmodi viaticum senectuti parare. Quibus enim insanire propositum est, ij, censeo, aut ad plenum insaniant, aut insanire desinant: mediocribus esse stultis non dij, non homines, non concessere columnæ. & scitum est, quamcunque artem profiteare, susceptis partibus cumulatè satisfacere: quod etiam in causa fuerat, cur te modis omnibus adhortandum putarem, vt in profitendi munere strennuè pergeres. Cùm enim dotes ingenij istius sic satis nouissem, grande te decus manere credidi, si in illud studium manibus pedibusque incumberes: nec decus solùm spectabam, sed & certissimum senectuti præsidium paratum cernebam. nō quòd te scholis tanquam perpetuo pistrino alligarem: sed inde vt ad summū aliquando honoris apicem, certumq; emolumentum conscenderes, quod (nisi me fallit opinio) plus tibi in omnem deinceps ætatem conferent istæ literæ, quas tu iucundas credis non fructuosas, hoc est, quæstuosas: plus, inquam, inde tibi lucri puto accedet, quàm è causificorum technis, aut carnificum tyrannide, quas duas artes ambiguè nominaui, quòd nesciam, vtram sequaris. Sunt illæ, fateor, his moribus, & hac vita, cumulandis opibus aptissimæ: at vereor vt ingenium tuum ferre queat, aut vafriciem, aut audacem temeritatem, quæ nisi adsint, frustra hodie vel Vlpianum agas vel ipsum Galenum: vtram vtram tibi delegeris, dediscenda tibi est omnis bonarum literarum polites, aut rem non facies. Obsunt isti quæstui non solùm meliores disciplinæ, verumetiam rectè instituti opinio. Noui hîc Iurisconsultum doctissimum, quem hoc tantùm nomine minimi faciunt, quòd subinde loquatur Latinè: & scis in isto aucupio pendere omnia è fama. Erat mihi profectionis Hispaniensis comes Ioannes

Vasæus

Vaſæus, iuuenis Græcè Latineque doctiſsimus, qui hîc mecũ dum eſſet dies pluſculos, iam reuerſus ex Hiſpali ſententiam meam ſciſcitabatur de conſtituenda vita. Ego perſpecto ingenio ac moribus, & quibuſdam inter confabulandum animaduerſis, ſuadere cœpi, vt ſeſe ad obeundas legationes principum conformaret. Atque interim dum ageret Salmanticæ (nam ibi bienniũ commoraturus putabatur) libros iuris ciuilis perlegeret, nõ quidem quaſi rabula forenſis futurus, ſed vt in magnorum virorum conſiliis, etiam earum rerum iuſtam tenere rationem putaretur: legeret, inquam, illos ſcriptores, haud aliter atque orationes Ciceronis: nunquam enim futurum credebam, vt tam politis literis initiatus, ad cauſificorum iſtorum barbariem deſcenderet, nec opus eſſe Secretariis Principum, aut Oratoribus: ita quidem Vaſæus facturus erat, at neſcio quorum ſuaſu aliorum more cœpit iuri ſtudere. Id vbi cognouiſſem, conſilium dedi, vt ſe penitus ab elegantioribus literis exueret, alioqui inter duas ſellas vtraque excluderetur. Ille verò pernegabat fortiter, & Alciati mihi exemplum offerebat, viri, vt puto, longè aliter inſtituti quàm aut tu, aut Vaſæus, & niſi coniectura fallor, ille iam in palæſtra ſua ad ſummum peruenerat, priuſquam ſe politioribus daret literis. Cumque iam gloriam nomenque teneret, priuſquam nomine Grammatici malè poſſet audire, quicquid poſteà diſciplinarum adiecit, etiam priorem famam adauxit. Et licèt ille veſtra ſtudia ſit conſecutus: tamen idipſum quod habet longè pluris fuit, propterea quòd artis ſuæ quam profitebatur, tanquam πάρεργον eſſet. Ita enim natura comparatum eſt, vt ſi quis in aliena profeſsione quid commodè dixerit, longè opinio hominum rem tranſeat, puteturque is & alia plura ſcire, ſed diſsimulare. Memini Louanij doctorem quendam Theologum in ſcholis verbum vnum atque alterum pronunciaſſe, & poſtridie id ſemel atque iterum inculcaſſe: quanta, bone Deus, Græcarum literarum illi erat apud ſtupidos cognitio! adeò vt non

dubitem fuisse tum inter nostros Baccalaureos, qui me præ illo nihili facerent, cùm tamē non ignorarent mihi annos aliquot in eo studio consumptos. Quin & ego cùm primùm cœpissem profiteri Hebraicè, quod plerique antè non audierant me illas tractasse literas, multò visus sum doctior quàm eram. Nec dubito quin sic illuserim hîc nuper cuidam medico Arabico docto. hūc cùm vidissem atque salutassem Salmanticæ, & humanitatem essem expertus, absentis amicitiam fouere studui, futurum sperans, vt aliquando mihi in eo studio esset vsui. Itaque cùm nuper è Conimbria per literas me salutasset, & ego in responsione nescio quid Arabicè mouissem scrupuli è tertio libro Auicennæ, quem tum Arabicum habebam in manibus: paulò pòst rursum me literis inuisit, & tāquam magno, & perito medico ex eo loco Auicennæ quæstionem proponit: erat autem de سبات Subet capite primo sub finem, ita satisfeci homini, vt me posthac non sit habiturus medicum. Redeo ad Vasæum & studium Iuris. Scribit paucis post diebus sibi rem non arridere: & posthac eos codices sibi legendos, quo inter nos modo conuenerat: quem res habitura sit exitum nescio, præsenti tamen statu bene habet, ac summa cum gloria publicè docet Rhetoricam, nec parem habere putatur Salmantica. Docet etiam Græcè maxima frequentia. Quod nisi inter scholasticos consenescere cogatur, & quò illum fata sua vocant libenter accesserit, magnum aliquando virum visurus es Ioannem Vasæum, nobilem principis magni aut Oratorem, aut Secretarium: quod hominum genus si quando locô vnam atque alteram legem citarint, doctiores habentur omnibus, quotquot sunt à consiliis. Audisti res Vasæanas: scribes inuicem ad me de tuis: & quanta voluptate verseris in isto studio, quod amicorum impulsu magis statuisti conducibile senectuti. Præterea Medicinam ne sequaris, & inter Libitinarios celebrandus sis, an ad sanguisugas defeceris; quid enim sunt aliud isti causifici? Vnum tamen,

mi

mi Ioachime, velim ſcias, te poſthac tanto futurum miſeriorem, quanto magis futuræ ſenectutis reſpectum egeris. Dices contrà cũ Syro: Iſtud eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere. Vixiſti feliciſsimè, dum propter fortunam illam Zelandicam tibi res ad raſtros profeſſorios rediit: at in poſterum parũ vtilia ſtudia, quaſi verò certiore manu teneas annos atque ætatem, quàm prædia Zelandiæ. Mihi ſi morem geras, quando vires tuas in illo ſtudio fuiſſes expertus, illud ob oculos reuocares: σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. nam ſi iſta ætate (vt ais) iucundiſsimè vixiſti, cur quæſo non poſsis in eiſdem literis viuere ſenex? Quid, inquies, tu me vis miſerum cõtabeſcere profeſſorem? εὐφήμει ne iſtud dixeris. Quid ergo? hæ literæ munus ſuum diuiſis habent temporibus: & qui modò ſtipem rogabat Græculus, poſtea Cæſaris factus eſt Orator, nunc (vt audio) Romæ triũphat Archiepiſcopus. Et eandem fermè ſpem mihi ominatus eſt noſter Houerius, & tamẽ perduro in vetere ſtudio. Quid ſi conditionem ſuſcipias apud D. Epiſcopum, qui (certò ſcio) te conueniet: an nullam emergendi viam cerneres? Sed nolim mihi multum fidei tribuas, præſertim vbi de cauſificis eſt quæſtio, aut carnificibus. Nam ſi quantum cuperem, tantum valerem quoque: profectò vtroſque è medio tollerem, ſperaremq; fore, vt quemadmodum, auctore Catone, exploſis medicis, Roma ſtabat ſaniſsimè; ita meo impulſu, non vna modò ciuitas, ſed totus orbis pacem ageret, qui nunc per iſtos cacodæmones totus feruet litibus. De te hactenus. Reſtat noſter Campenſis, qui cùm Patauij minimum XI. commoratus ſit dies (ita enim collatis tuis literis cum Damiani colligo) valde miror, cur vtrique negotium ſalutandi dederit, nec ipſe tantillum ocij habuerit, vt me ſuo appellaret calamo. Sed ita eſt, poſtquàm à Contarenis vocari cœpit, veteres amicos negligit. Quare etſi vel optima ſeſe occaſio tulerit, nolim tamen hominem mea cauſa reſalutes. Valeat cum ſuis

Spartam quam nactus es, hanc orna.

Bona verba.

Cardinalibus: nos interim cum Regulis agentes, vtcunque ſortem noſtram ſolabimur. Non haberē quòd expoſtularem, niſi ille hinc meas ante annum accepiſſet literas. Vale, optime Ioachime, etſi quid aut liberius aut imprudentius effutiui, da veniam homini non aliter inſtituto. De ſtylo nihil opus eſt cauſari, quando eas veneres magis ac magis dediſcam. Eboræ XXII. Aprilis.

NICOLAVS CLENARDVS IOACHIMO POLITAE, S. D.

INTER Græcos auctores, doctiſsime Ioachime, è quibus Latini diſciplinas fermè omnes hauſerunt, nullum tam diligenter legi atque euolui vt Lucianum, non aliam ob cauſam, niſi quòd accepiſſem ab eruditiſſimis viris vnum eum ſcriptorem, ad cognoſcendas phraſes abundè ſufficere: Verùm quantum tuæ prædicant literæ, multò melioribus auſpiciis Græcanicæ linguæ rudimenta & fundamenta didici. Tradit ille, vt noſti, compendiariam quandam viam, qua planè citra ſudorem ac puluerem ſummus Orator breuiſsimo temporis momento poſsis euadere. Nimirum dum alia conſector in Luciano, ἔλαθον ἐμαυτὸν δεινόν τινα λέγειν πεποιημένος. Quare tibi immenſas meritò gratias ago, qui mihi meipſum tam apertè nunc oſtenderis: antehac ſiquidem putabam ſic tumultuariè ſcriptitans, epiſtolis id me fortè conſequuturum, vt ſi curſum ſtudiorum abſoluiſſem, & aliquantum cœpiſſem parere, tolerabili ſermone linguarum ſtudioſis dicerem: ita legunt Græci: hoc pacto ſonant Hebræa: & Arabes quoque ad eundem ſe habent modum. Verùm, vt audio, lautior ſupellex eſt in inſtrumento meo, & imprudens Delphicum oraculum negligo γνῶθι σεαυτόν. ſum enim Orator, auctore Polite, οὐ τῶν τυχόντων μὰ Δία ἀλλὰ τῶν πάνυ καὶ τῶν ἀρχαίων, ἢ οὕτως εἰπεῖν τοὺς ἀρχαίους. nam miſeris illis multum

Non ſenſi me ita redditum eſſe egregium Oratorem.

Non ex numero vulgariũ per Iouem. ſed magnorum & priſcorũ, vel (vt ſic dicã) ſupra priſcos.

multum olei opus fuit: & se noctes atque dies excruciabant, vt eleganti oratione in aures multitudinis influerent, mihi ne per somniũ quidem vnquam in mentem venit, Rhetoricis præceptiunculis incũbere, cùm tamen ad eorum laudem fortunatus peruenerim, & quod est artis tanquam cardo (si Ioachimo credimus) exactè, & ad plenum consequor: dum enim me abijcio, dum stylum humilem & aridum prædico, ita stylo ducendo, valere traducor, vt proram & puppim teneam facultatis oratoriæ, nimirum, τὴν ὑπόκρισιν. Cæterùm, Ioachime, quando meæ farinæ Rhetoribus vna modò musa colitur, quam vocant φιλαυτίαν, volo cumulatissimè partibus meis fungi: nam & hoc quoque oratorium puto stultè gloriari, non minus, quàm iactanter dicere: ne ignores, & minus amicum laudes, quàm pro meritis, repentè & iam Poëta prodij, eodem Luciani præcepto fretus, qui solam impudentiam omnium artium fontem affirmat. Audi (si lubet) specimen noui Vatis, & leonem ex vnguibus æstima: cur enim iam pudeat magnificè loqui? Qui inepti personam suscepit, nihil prius habere debet, quàm benè ineptire. Itaq; cùm his diebus febri poëtica correptus essem, & ad Houerium scriberem epistolam, felici illius gratulando piscaturæ, hoc dictante Apolline, effudi distichon:

Poscis opes sacras nummo reperire prophano?
Curre citus Romam, sacra sunt venalia Romæ.

AT præstat, opinor, totius fabulæ originem commemorare, vt scias, cur versus asperserim epistolæ Houerianæ, imò vt plures discas Clenardi titulos, ἐκεῖνο γὰρ τὸ ἔργον, plausum auferre & laudari propter artem poëticam: sum enim Poëta, & nouum genus carminis repperi. Dicenturque post hac Clenardica, haud aliter atque Sapphica, aut saltem Clenardia, vt Phaleucia: nam animus est, posthac eo genere tam crebrò vti in furia, quam vt noscas in manu habeo, vt quemadmodum Themistocles, si memini demandatum officiũ omnibus redditũ περιπόθητον: ita vos parui poëtuli, mani-

Hoc enim institutum est.

Exoptatum.

manibus pedibuſque conemini, quo poſsitis conſcribere Clenardica. O Eraſme quanto meo bono mortuus es, cuius niſi ſedulò funus curaſſem, necdũ in albo poëtarum eſſet Clenardus, aut vt veriùs dicam, poëtarum Coryphæus: ſic enim Lucianus præcipit, Quãto minores ſumus, tanto criſtas erigamus ſublimiores. Ergo acceptis Damiani, tuiſq; literis, omnia quæ in manibus habebam abieci, & totus in lacrymas ſolutus ſum, domi, foris vbicunq; agerem, ob oculos mihi verſabatur Eraſmus: nec me tenere potui, quin multos doloris mei teſtes adhiberem: principiò paruam Elegiolam effudi ad Reſendium, cuius hæc fuit coronis:

Spirantem vulgus, quod non tolerauit Eraſmum,
    Defunctum ſerò quæret habere ſenem.

Mox ad eundem valde impatienter Eraſmi obitum ferentem, hunc in modum Oden conſcriptam miſi: libet enim ea tibi quoque oſtendere, quæ ad alios, vel Orator, vel Poëta, facillimè fundo, & ex tempore: & domi iam eſt Ode, vt ad ipſum perlata fuit: cur enim vereor vel cunctas ſyllabas meas in ſummo habere precio, quando tantus ſum Orator?

SALVE Reſendi, iterum furio, & rurſum ineptio. Cùm rediſſem modò domum, audito ſacro, ac ſemper ob oculos verſaretur Eraſmus; venit in mentem Horatij: qui, defuncto Quintilio, Oden ſcripſit ad Virgiliũ. credo te fuiſſe non minus amantem Eraſmi, quàm erat ille Quintilij. quòd ſi & ego perſonam Horatij queam ſuſtinere; carmen haberes elegantiſsimũ: imitatus ſum tamen numeros, tu cenſor eſto.

ERGO pallida mors eripuit ſenem
Indignanter Eraſmum? cape publicos
Luctus, qui Latio te recreas ſtylo:
        Muſarum decus occidit.
Blandæ Cecropidum conſcia paginæ
Gens aſſueta ſonos carpere duplices,
Vtriſque celebrem plangite literis:
        Iam nullum dabitis parem.

Diui-

Diuinos docuit voluere codices,
Et ſenſus retulit fortior integros,
Splendorem tabulis reſtituit ſacris:
Luge concio myſtica.
Omni mors meritò flebilis ordini,
Sed plorata nimis fata Reſendio,
Quid fruſtrà ſuperûm frangere gaudia
Lamentis properas tuis?
Nam Deſiderium ferre diutius,
Mortales inter tædia noxia,
Ingratum fuerat cernere cælites,
Sydus quòd cuperent nouum.
Quapropter poſitis deſine næniis
Victori egregio condere funera:
Sed mecum modulis lætus amantibus
Cura pangere cælitem.

AN hoc quoque licentia poëtica ſibi vendicat, vt cùm lugẽdum dicam omnibus, tecum ſiccis oculis velim triumphare? Quis tibi videor Ioachime? malúsne Orator, an peſsimus Poëta? Audi porrò cætera. Eo ipſo die Oden quãdam tricolon tetraſtrophon componere cœpi benè longam: quam poſtridie abſolutam exhibui meo Principi. Stans enim pede in vno, verſus poſſum eructare plurimos, haud aliter atque Lucilius emunctę naris duros cõponere verſus, vt Flaccus ait, quem multò malim imitari, quàm iſtos operoſos verſificatores, quibus ſæpe ſyllaba vna, nocte ſolida faceſsit negotiũ, & tamen mordendis vnguibus, cædendo pluteo, nunquam ſibi ſatisfaciunt. Quanto ego felicior, qui quicquid ſubitò crepem, omnino afflatum Apollinis credam? Iſtis aliquis tandem exorietur Zoilus, qui poëticen adimat: Clenardus ſpero tam erit eximius, vt nemo eum curet inter malos Poëtas cenſere, & interim hoc quoque lucri auferet, quòd cum amicis ſuauiter ſeipſum ridebit. Et quid quæſo intereſt nobíſne, an aliis ridendis capiamus voluptatem? quocirca ſtrennuè gloriandum eſt, ſi malignos habeam vicinos, ipſe mihi non

deero.

deero. Itaque deinde Sapphicum ſcripſi elegantiſsimum, quo nullum eſt apud Horatium longius: valde enim vbique fœcundus ſum: & ea mihi ſunt optima, quæ numero ponderantur: qua parte Ciceronem refero pulcherrimè, qui hoc melior, quò copioſior. Etiam hinc aliquid iactare libet, ſiquidem pleraque me mirificè capiunt, & Auguſtini verbum re ipſa cófirmo, ſtulto homini placet, qui ſibi placet. Sed mos gerendus eſt Luciano, qui diligenter monet, vt perpetuò noſtra laudemus.

MVSA quid ceſſat? tua neſcit auris
Orbe quod toto trepidante luctu,
Fama iam clamat, pereunte vena
Eloquutorum?

Et paulò pòſt oborto mihi fletu, ſic pergo:

Iunge Clenardo lacrymas Georgi,
Impios mecũm reuocare manes,
Quæſtibus curæ, mihi tot diebus
Fletur Eraſmus.
Verſibus mœſtis nimium dolenter,

IAM illud quod ſequitur, an Sappho ipſa diceret concinnius?

O ſenex annos recinende cunctos,
O ſacris quotquot ſtudeant Camœnis,
Mite ſolamen ſuperans, recedens
Funus amarum.

CAETERVM quãdo Lucianus monet, vt alios ſemper præ nobis nihili faciamus, etiam hac in parte docilem me præbere volo. Miſſurus eſt ad Damianum Reſendius carmen, quale cudere potuit homo ætatem omnem in Parnaſſo verſatus: ſed nihil ad noſtra hæc, quę non humano ſtudio, ſed repentino inſtinctu eduntur, vt Muſis viſum fuerit. Agnoui in hoc Poëta furtũ, quod prodendum eſt, vt aliis carpendis habeat doctior: hic enim nobis qui ſub Luciano meruimus, optimus eſt canon. Fermè quicquid verſiculatus fui, amico Reſendio legendum tradidi: non vt caſtigaret: nam & mendaciis

daciis quoque mea nititur Rhetorica, sed vt nouum Poëtam laudibus veheret. Interea ille laboriosus Vates animaduertit, quæ mihi Apollo subministrasset: & quòd ego prior occupassem, postea mèdicatò vsus est: erat autem de Venere Coa, de qua sic comparationem in Sapphico meo posueram:

MAXIMVM formas dare penicillo,
Vocibus Cois Veneris decoræ
Artibus summis opus inchoatum
Quærit Apellem.
Paginæ vastam fabricam disertæ,
Quam ferè limam vigilata scripta
Ceperant, votis Basilæa frustra
Poscit Erasmum.

ET quando nobis Rhetoribus, & Poëtis non proletariis, sed classicis, hoc vnum propositum est, vndiq; captare gloriam: etiam apud puellas me in hac furia venditaui, vt vterque Clenardum sexus nihili putet esse Poëtam: nam vides Ioachime, quo pacto subitò saliũt mihi carmina bella: nam quicquid conor scribere, versus abit. Est hîc inter aulicas asseclas virgo eleganter literis culta, adeò mihi nota, vt vix nomen tenuerim, nisi subuenisset Resendius: eam quoq; ad exequias Erasmicas mirè venusto carmine cohortatus sum, quod ad istum conclusi modum:

RVSTICOS aulæ rudis, & decori
Nescius, quauis gemitus reduco
Veste, Clenardus, venerans sepultum
Tristis Erasmum.
Purpura tu quæ nitida reluces,
Et Probam docto calamo reportas
Grandior fastu meliore adorna
Vasea pompam.

EST enim virgini nomen Ioannæ Vasiæ, cuius ab hinc bienniũ epistolam vidi, cuius nec te puderet. Verùm ne aliis laudandis à me discedam, narrandus est fabulæ actus extremus: in quo sic excello, vt cũ in primis

lusi-

luſibus reliquos omnes ſuperauerim, & vniuerſa poëmata vicerim, quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ mox futura ſequentur: hic meipſum etiam vincam, quod aiunt pulcherrimum eſſe victoriæ genus. Quòd ſi ſcias quàm mihi ſcitè in mentem venerit, ſandalio profectò mihi caput demulceres: ſic itaque res geſta eſt. Cùm toto animo domi ſederē defixus in Eraſmo, & me ipſe ſuauiter titillarem, quòd tam bonus ſubitò factus eſſem Poëta (vt fit) inſolentiæ ſtimulis agitatus, gloriæ meæ pulchrè conſultum credidi, ſi nouos aliquos miſeris mortalibus proderem numeros: ita enim Poëtarum prouentum futurum vberiorem, ſi laxiores calamis darentur habenæ. Sunt qui vix poſsint conficere Hexametra, cùm in Iambicis valeant. Itaque Comico videas ſermoni propiores adeò quandoque liberos, vt vno loco quinque pedum metra ponant. Nemo certè diffitebitur, quanto plures canendi & ſaltandi dentur numeri, tanto aditum ad poëticam patére latiorem. Gloriatur Horatius, quòd Princeps Aeolium carmen ad Italos deduxerit modos: mihi longè maior triumphandi gloria eſt, qui nihil ab Arabibus aut Græcis mutuò ſumpſerim: ſed meopte marte fretus, adeò inauditum carmen repperi, vt decima forſitan nunc addenda ſit Muſa. Multa Ioachime veteri & priſco ſeculo latuerũt, quæ nunc paſsim in apertum ſeſe proferunt: inſulas, & habitabiles terras iam nouimus, quas Coſmographi hactenus præ Solis ardoribus humano generi præcluſerunt. Et quid reperiendis his bonis, & auro furando Peruſino cauſam dedit? nimirum audax omnia perpeti gens humana ruens per vetitũ nephas. Quòd ſi priori ſeculo tanta fuiſſet audacia, quanta nautis Luſitanicis, non adeò fœdè ſcriptores in topographia lapſi fuiſſent. Itaque credo futurum, vt iam deinceps vos Poëtas ſeruili quodam ingenio præditos planè conuincam, & mentitos eſſe oſtendam, qui ob id dubitaſtis plures facere Muſas quàm nouem, propterea quòd ſic priſco ſeculo traditum fuerit. Ego contrà, verſus inueni, de

quibus

quibus neque fictum, neq; pictum, neque scriptum vsquam est in poëmatis, quos nec Clio, nec Euterpe, neq; vlla istarum sororum vsquam cecinit: ac spes est fore, vt propediem valde Parnassi moniales adaugeam. Ex animo loquor, mi Polites: vix à lacrymis tempero, cùm vestram omnium miseram sortem tacitus contemplor. Auctoritatem apud vos habet puellula Sappho: & carminis noui inuentricem colitis, quasi præstantius esset alios venerari, quàm seipsum venerandum offerre: & vt mihi quidem videtur, eandem vobis libertatem pręciditis, quam hodie isti Doleti, & Ciceroniani: ij non ausint dicere versiculari, quia Cicero non vsurpauit. Liuium, Plinium vtrumque, & quicquid vnquam scriptorum extitit, inutile nobis faciunt, si aliter loquantur quàm Cicero, sapiúntque multò plus, quàm vniuersi post Tullium, non cogitantes, quòd & alia scripserit Cicero, quæ interciderunt: quæ si comparerent, fortè Batauum non impeterent, quasi parum Latinè loquentem: Vos Poëtæ in eandem fraudem incidistis, & in modulandis carminibus, veteres imitamini; nec fas ducitis alios edere saltus, quàm quales illi saltitarunt. At cogitandum erat, forsitan eos pedibus fuisse aliis, quàm quibus nos hodie nascimur. Quid autem? Turnus tam grande saxum in hostem torquebat, vt nos minoribus lapillis vti vetaremur? Iam Poëtæ Græci quot iniuria temporum periêrunt? &, vt numerũ Terentiani Grammatici non fuerint transgressi, ideóne mihi fraudi debet esse, quo minus liceat nouas inuenire Musas? Opifices omnes cum seculis mutantur: imò singulæ regiones peculiarem quandam rationem sequũtur. Cùm ante annos aliquot excurrere libuisset Lutetiam, videbar illis in capite gestare nidum ciconię: tam vastus erat pileus, quem illic nostratium more seruabam: postea vsus minore, & Parisiensi: cùm redissem Louaniũ, Coclenius rogabat, nũ peregrè caput perdidissem? Tu Ioachime, cãtilenas istas vulgares nosti, & te cum Damiano subinde oblectas. Eodem modo canitis hodie vt

olim? eoſdem pedes nauticum habet celeuma apud Zirecenſes, & Italos? & iſtę Galateæ Patauinæ blandius ne garriunt, quàm Catharinæ Zelandicæ? Breuiter, omnes calcearij, & coqui, nobis qui literas tractamus, multò ſunt prudentiores: comminiſcuntur ſemper aliquid noui, quod ad loculos faciat. Eos imitari volo, & tot ſcrutari carminis genera, quot ſunt cauſifici Patauij, aut catenati in Luſitania. Sed iam tempus eſt, vt aliquid deguſtes noui carminis. Cùm vellem conſolari noſtrum Reſendium, & iam viderer mihi nobilis Poëta, taxo Campinienſi tempora redimitus, id perſuaſiſsimum habui, quicquid primùm in buccam veniret, afflatum eſſe Muſarum: accepto calamo, hunc in modū incepi:

ERASMI cultor, ô Reſendi
Grauem qui concipis dolorem,
Et opples lacrymis ocellos.

HOS numeros conſeruaui toto carmine, quod excreuit multum: vbique enim ſunt Maximini caliga, & Clematis Aegyptia, corporis ſtatura, proſa, verſu: atque vt ſcias me etiam grauiter & magnificè canere, Audi quæſo Sophocleum Cothurnum:

VIRI non manibus caducam
Dabis vitam. rapit potenter
Simul florente cum iuuenta
Senes mors omnibus timenda,
Popello, & Regibus ſuperbis,
Honorem purpuræ nitenti
Habens nullum. At decus Sophorum
Parant quod impigro labore,
Truci non indidit ſepulchro.
Superſtes ſemper eſt piorum
Fugax virtus luem videre.
Cadunt turres, cadunt tyranni,
Breuis vitæ bono fruentes.

QVID alia tibi commemorem? quando vel iis ſolis immortalitatem meritus ſim. Quòd ſi rurſum Tragicos

Bacchus quærat, nec Euripedem, nec Sophoclem, nec Aeſchylum petet ab inferis: ſed rectà ſe conferet ad oppidum Dieſtenſe, ſalutatúrus Clenardum. Cùm ſic inſaniuiſſem ad centũ & ſexaginta verſus, eóq; amplius, ac multis argumentis niterer dolorem Reſendij mitigare.;. vt perpetuò mei ſimilis eſſem, ridiculo concluſi luctum, & ſeria in iocum conuerti.

QVID autem pluribus Reſendi
Morer te, multus increpando?
Poëtam te putamus omnes,
Nec in pectus cadit Sophorum
Dolor lætus pio triumpho.
Sali, charum canens Eraſmum,
Voca vel te malum Poëtam.
Furorem ſed Reſendianum
Probe ſi intelligo, choraules
Prius fiat, trahatque reſtim
Fori ſpectaculum frequentis
Magis centum lubens Eraſmos,
Velit quàm lacrymis periſſe
Grauem famam ſibi Poëtæ.

HAEC ſunt, Ioachime, Clenardica, me, me inquam auctore nata: quæ vbi Reſendius vidiſſet, venit ad me poſtridie bene iratus. Et quid hoc, inquit, eſt rei? probè me tuis verſibus torques: legi ea gratia heſterna nocte totũ Terentianũ, nec vſquam iſtius generis exẽpla retulit: quaſi verò, inquã, ille Maurus ſomniare potuerit, quid Clenardũ docturus eſſet Apollo. Nouus ſum Poeta Reſendi, nouos fontes repperi. Vellem, inquit, vulgato more mecum ageres, ſiquidem anno quoq; ſuperiore cùm paucis diebus laborarem morbo poëtico, Reſendianas ædes, nouo carmine celebraui. Accipe initium, vt rideas:

Dic peto dulce Reſendi
Clenardo melos, éſtne poëticis
Inuidiam ſuperare
Vis innata ſororibus omnibus?

VERVM vt causas redderem commenti mei, ac viderem satis apertum campum fabricandis versibus, institui quoddam Phaleucium ad eundem Resendium: id adhuc extremam manum desiderat. Siquidem cùm sic occasione mortis Erasmi, totus essem in canoris nugis; interuenit tabellarius Salmanticensis, & turbauit officinam poëticam. Ab eo die hactenus fui in scribendis ad amicos literis: accidit enim, vt eodem tempore mihi parandæ essent epistolę ad vos, ad patriam, ad Salmanticenses, ad vrbem nostram Romanam, adeò vt his duodecim diebus ducendo calamo fermè enectus sim, & vt sum apud amicos planè παρρησιάστης: & nihil puto æquè synceram amicitiam decere, quàm de quotidiana vita reliquos certiores facere, etiam furorem hunc meum significaui. Quid? nónne in omnes orbis angulos emittuntur veredarij, si quando noua reperta est insula? quid faciendum erat, vbi tam repentè nouus & Orator, & Poëta extitisset? Miseras tu Ioachime Pasquilli iocos, reposui puto ad nauseam vsque: quid enim facerem ad iocandum lacessitus, qui tam liberè consueui ludere in rebus seriis? Risisti meam Rhetoricam, habes nunc, vt poëticen quoq; scommatis aspergas: Laudarem ego vicissim epistolam tuam, tam disertè, tamque cordatè conscriptam, sed dogma Lucianicum violare nefas esto: vniuersi præ nobis sordere debent, alioqui nomen Oratoris tueri non liceret. Venio ad reliqua. Miratus sum, quid tibi in mentem venerit, à medicis deficere ad causificos. Scripsi quid consilij dedissem Vasæo. quod si tibi quoque congruere iudicasti, tamen me puto defectionis auctorem non habes. Barbariem ais in causa fuisse, cur reieceris medicinam, & recondita quoque illic opus esse rerum cognitione. Ioachime, si barbarorum opes quæris, & aurum istud senectuti viaticum paras, δεῖ μικρὸν βαρβαρίζειν. probitas enim laudatur & alget. Deinde, Est aliquo pro dire tenus, si non datur vltra: liceretq; tibi medicinam sic didicisse, vt barbaris istis in reparanda nihil cederes:

Oportet aliquã tulum barbarizare.

&

& præterea Græcis instructus apud principes viros, nomen haberes aliquanto honestius, quàm cæteri. Iuris peritiam si nolis ea ratione tractare, qua vulgus hominum, sed Budęi placeat institutum: sanè literatum iuris antistitem præstiteris. ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα. *sed nihil ad farinam.* nam qui eam hodie professionem habent quæstui, non tam iustitiæ, vt ait Cicero, quàm litigandi tradunt vias. Vasæi alia est causa, quàm tua: viuit Salmanticæ in summa nominis celebritate: videturque iam de vita in posterum agenda statuisse. Literas humaniores colit, & diuitum liberos fidei suæ commissos gnauiter instituit: quãtum eius spirabat proxima epistola, hoc anno præter suum famuliique victum, seponet L X X. ducatos: & nisi me fallit coniectura, parum habebit negotij cum studio iuris. Tu Ioachime, quando non libuit in Latinis Græcisque literis cardinem ponere, quo deinceps tota verteretur vita; in hoc mihi peccasse videris, quòd medicinam reliqueris, cùm præsertim iam annos aliquot successiuis horis, & postea ὡς τὸ ἔργον *vt principalie institutum,* amplectereris: nihil in nobis deterius ad promouendum est, quàm instabilis animus. Si impulsu Zagari, aut aliorum amicornm factum est, dabis operam, vt saltem nunc ne vacilles. Adhuc vigent anni, & potes recta ratione sic pręsens studium moderari, vt bene senectuti prospectum sit, siquidem hodie optima summi est ista via processus, causarum noscere formas. Vnum te tantùm admonebo, vt si stat sentẽtia ius discere, ne tuo iudicio multum tribuas, neque ob id præceptores damnes, quòd spurci sint, & barbari: politiores literas iam missas facito, nisi fortè παρέργως *obiter* animus defatigatus sit recreandus. Vulgata via incedendum est, si vulgari more didiscere cupias: scire quid æquum, quid iniquum, non magni est negotij: & Ofellus rusticus sæpe id melius definiat, quàm centum causifici: sed discendum est, quo pacto lis cõstituenda sit, quibus technis proroganda, quomodo eludendus aduersarius, id priuata industria intra domesticos parietes nunquam assequéris:

nimis enim iſta ingenij tui indoles ab iſta vafricie ſemper abhorruit. Exuendus eſt Ioachimus Polites,& ita ad tempus ſermonis delitiæ ſunt dediſcendæ, vt Bartholum iures melle Attico ſuauiorem. Ne me putes hic ludere, ſeria res eſt, mi Ioachime: ſi non potes offirmare animum, vt totum diem impendas audiendis illis rabulis; tamen conſultum eſt vnam atque alteram lectionem audire quotidie. Et quamuis ſtultus ſim, qui in alienam meſſem velim falcem immittere, non poſſum tamen celare, quid in pleriſque ſtudioſis iuris valde damnauerim. Videbam plurimos rudes totius rei, protinus ſeſe dare omnibus audiendis lectionibus: ij vnum atque alterum annum ſic perdunt, vt in ſcholis id modò percipiant, præceptorem multas crepare leges, citare capitula,& innumeros paragraphos: cum his mihi aliquando fuit colloquium, & ſic agebam: ſi noſtis vtcunque Latinè, priuato ſtudio intra annum licebit domi omnes iuris titulos, & omnia legis capita legere, nullis omnino adhibitis gloſſematis, & quãuis non dabitur aſſequi ſingula, aſsidua tamen lectione, ſummam rei bene notam habebitis, & ſic vtcumque vniuerſas materias iuris deguſtaueritis. Hîc ſit primi anni labor, quo tractabitis iuris libros, vt Terentium, vel alium quemuis auctorem prophanum. Quid hinc emolumenti? vbi iam audiueritis in ſcholis doctorem effundentem nunc has, nunc illas leges, nihil turbabimini: ſed lecta & melius intelligetis, & iam deinceps, quotidie ſumma cum voluptate vnius anni laboris frugem reportabitis. Si Ioachime tot haberes libras groſſorum, quot horis è iurium ſcholis inanis rediſti, iam credo iſtis doctoribus laqueum mandares. Audio Toloſæ ſic inſtitui iuuentutem, vt ſit qui pancisſimis menſibus,totũ corpus iuris abſoluat, & literam modò breuibus explicet: at tu credo quem primũ nactus es præceptorem, eum trimeſtri pertuliſti in vno legis capite: ſiquidem hoc iſtis ſtudio eſt,vt totum, in Oriẽtem obtorto collo trahant, quicquid in reliquis orbis partibus

prone-

prouenit. Mentior, an ſcopum attingo? Sed iam ſit modus: nec hæc dicta ſunt, vt tibi præſcriberẽ, ſed vt oſtenderem, quo pacto ego Iuri ſtuderem, ſi in fatis fuiſſet capitalem cauſificorum hoſtem, ipſum fieri cauſificũ. Quamuis, Ioachime, iam æquales ætate, in hoc ſtudio te præceſſerint; ſi tamen recta via incedas, caueasque ne multas horas perdas legendis nunquam finiendis citationibus, facilè aſſequeris reliquos: quorſum enim attinet in vnum dogma confirmandum, duas columnas conſpurcare citandis paragraphis? Lege Felinũ, & mihi ſubſcribes. Poſteaquam iam corpus iuris perluſtraueris in ſcholis, quotidie licebit aliquid certi colligere, & id omnium optimo capitulo, aut lege, vt dicunt, firmatũ, illius diei lucrum ducere, exacto anno creſcet ſumma, & ſenſim parabis iudicium cauſificum. Ignoſce, nam amore tui ſtultè prouectus ſum, quòd ſuſpicarer, quid potiſsimum te torqueret: ſi falſus ſum, proximo tabellario me refelles. Modò ſcripſi ad D. M. Vigerium, & necdum epiſtolam obſignaui, accipe ipſa verba. Occurrit & Ioachimus Polites, qui & ipſe medius erit, per quem crebrò te ſalutemus: is eſt, cuius epiſtolam hîc legiſti, iuuenis in vtraque lingua doctiſsimus. Habet Patauij conditionem honeſtam, ac iuri dat operam: ſi quando illuc proficiſcaris, oro cognoſcas indolem, & videas num conſanguineis queat eſſe vſui. Accepi modò epiſtolam, in qua & ipſe teſtatur gratiſsimum ſibi futurum, ſi eum vidiſſe detur, quem ego tantopere prædicem. Velim modis omnibus, vt ſub te patrono aliquandiu permaneret in Italia: ſiquidem vt ſtudioſis fermè contingit, abiectiore videtur animo, in quo tamen eas dotes poſsidet, vt ſi euectorem aliquem nactus fuerit, qui ocium ſtudiis ſubminiſtret, orbi vniuerſo, doctrinæ nomine, facilè futurus ſit admirationi. Quid? ſi iam fratris filiis conſultum eſt, poſſétne Vigerius Romæ quoque Politem noſtrum illuſtrare? Hæc ego de te Ioachime, quæ ad quam commendationis nò tam pertinẽt, neſcio, niſi quòd ex animo prorſus ſcribã.

Campensis si valet, bene est: nos immemorum sumus immemores. Gratularis mihi Canonicatum trecentorum ducatorum: historiam omnem audies ex Damiano; quamquam quòd ad ternarium numerum attinet, rem acu tetigisti, simulque verum fecisti adagium: Thesaurus carbones erant. Quæris quo pacto? Institui æstate superiore familiam duobus emptis mancipiis, quibus nuper adieci tertiũ: natu maximus, Michael est Dẽto, annos natus XV. adeò pulchrè dentatus, vt me cum vniuersis ducatis, facilime dentibus in sublime tollat, nec minus gaudet rodendis ossibus, quàm canes: Medius est Antonius Nigrinus, agens annũ circiter duodecimum: tertium Sebastianum puerum nouennem, proximis diebus noster Resendius iussit esse Carbonẽ. Horũ trium Aethiopum Clenardus iam tanquam ludimagister est factus. Hunc in modum, si trecentorũ ducatorum canonicatus redactus est, an non thesaurus carbones? Putabamur, Ioachime, ituri Braccaram; itaque periclitandũ prius erat, quo pacto agerem patremfamilias. Satis fuerant in rem culinariam etiam pauciores serui, sed literis eos destino, & habeo vt ingenuos decet: spero mihi aliquãdo erunt, quod Diphilus Crasso, & Tiro Ciceroni. Non ago cum eis nisi Latinè, & nunc probè capiunt: pingunt quoque literas satis distinctè: medius cæteris magis ingeniosus, prandenti mihi lector est. Cœpi ab hinc duobus mensibus per iocum inter comedendum dicere: Musa, Musæ, &c. Ne multa, iam bellè declinant, etsi necdum Grammaticum legerint. Cùm studere non libet, his me oblecto tanquam simiis. Si quando libet deambulare, capio comites, & in agris per viam declinant nomina: & nisi fallat coniectura, istis Nigrinis debeo, quòd Musas habeam tam propitias. Puto enim eo tempore dum initiarentur declinationibus, à nobis Musa & Musæ per omnes casus salutatæ sunt, adeò crebrò, vt Ennius eas in omni vita non appellarit sæpiùs; itaque gratiam retulerunt, & me insignem fecêre Poetam.

Belli-

BELLICOS tumultus, nuſquam hodie minus timeri credo, quàm in Luſitania, & vobis iſthic nihilo ſumus inferiores: faxit Deus, ne peſtis, aut annonæ caritas nos premat.

CONVERSIONEM Pauli III. ſeruauit ſibi meus Princeps, cui ob id ſolùm epiſtolam tuam nolui oſtendere, ne illud legeret de trecentis ducatis, etſi principiò planè exhibere ſtatuiſſem: ſed preſsius cogitans, putaui non expedire. Ad Houerium paruulam conſcripſi epiſtolam teſtem furoris mei, vt ſuprà dixi, in qua hominē oraui, vt, quia Romæ fuiſſet, hoc Mantuani diſtichon mihi interpretaretur:

Viuere qui ſanctè cupitis, diſcedite. Romæ
 Omnia cùm liceant, non licet eſſe bonum.

CAETERVM vbi abſoluiſſem, & eam relegerem, viſa mihi eſt liberior, quàm vt auſus fuerim nunciis cōmittere. Aliâs aſſabimus iſtum piſcem, quem Romæ (vt dicis) modò cepit.

VALE Ioachime, & ſi velis viuere bene & beatè, non te affligas cogitatione ſenectutis: potens eſt Deus, quem ſi timuerimus, abundè ſumus diuites. Quî ſcis an tibi expediat eſſe diuiti? ille ſummus paterfamilias nouit, quid domeſticis conducat: id modò ſedulò curemus, vt numeremur inter filios. Cùm paruulus eſſes, terrenus pater prouidebat, ne deeſſent calcei, ne cætera: an pater cæleſtis noſtri minorem curam habet? Iſthæc, inquies, ſunt ſpeculationes, ſed quid ad crumenam? Audi contrà diſtichon vnum:

Crumena quid facit, pius ſi ſis minus?
 Si ſis pius, quid opus crumenæ ſarcina?

RVRSVM vale, & tuum ex me Splinterum reſaluta. Eboræ, die Ioannis in Decembri, Anno M. D. XXXVI.

LITERATO VIRO IOACHIMO POLITAE IVRISCONSVLTO.

LITERAS tuas, Ioachime doctiſsime, quas ſcripſiſti ſexto Calendas Maij, modò accepi, hoc ipſo die octauo Iulij, ſub horam quartam pomeridianam: & qui eas reddidit: ſi quid, inquit, reſcribendum eſt, cura quàmprimum, ſiquidem Damiani frater miſſurus eſt cras Vlyſsiponem. Boni itaque conſule tumultuariam reſponſionem, & de ſtatu rerum mearum breuiter intellige. Princeps noſter iam triennio proximo Callipedis in morem, profectus eſt Braccaram: at nunc omnia certa ſunt. Cras ante lucem hinc migrat cum omni familia, rediturus ſub proximum Ianuarium, ego propediem ſubſequar: neque enim veteres adhuc mores exui, vt poſsim tanto gaudere ſtrepitu, ſcilicet ne Theologus inter militandum, aut equitandum ſim ridiculo. Interea dum in hanc adornaremur profectionē, egi cum Principe de reditu in patriam. ſi Deus, & caſus varij non defuerint, aut (vt melius dicam) non aduerſentur noſtro propoſito. Aeſtate proxima concedam in patriam, ſic enim conuenit. Non rediturus in Luſitaniam? Non Ioachime. Optaret quidem ille me ſibi perpetuum: ſed præter alia cauſatus ſum, quòd mihi poſthac in auditoriis verſandum eſt, & prælis: cupere enim me quædam abſoluere, quæ ad linguarum ſtudia pertinent. Deinde in ſacrarum literarum tractatione ſeneſcendum eſſe, id quod mihi nuſquam commodius facturus videar, quàm Louanij. Ante Pentecoſten patruus Cæſaris Leopoldus ab Auſtria, qui nunc Recto rem agit Salmanticæ, miſsis literis honeſtiſsimis, ad cathedram linguarum me vocauit. Et item alij illic viri mihi coniunctiſsimi, modis omnibus conati ſunt me in eam Academiam reuocare: nihil non pollicentes homini, quem vnum in Europa ſcirent illi profeſsioni parem. Id arbitrantur, quod hactenus nemo extiterit, qui linguam Arabicam ſic teneret, vt eam do-

cere

cere posset. Siquidem non desunt medici, qui Auicennam, & alios Arabes lectitent: verùm de Grammatica nihil norunt, non magis quàm nautæ Zelandici, aut nostri aurigæ Campinienses. Ego quid præstare posim, hinc collige. Februario superiore medicus quidam Galeni sectator, Græcè Latineque doctus, cùm putaretur iturus Conimbricam, & enarraturus Auicennam, meo suasu cœpit Arabicari, traditis rudimentis linguæ, quæ iam ante biennium conscripseram, enarraui caput primum III. libri Canonis: & iam aliquo vsque progresi eramus in Anatomia cerebri: vix dum triginta horis illi dederam, cùm ingenuè fateretur, se plus tantillo tempore nactum esse iudicij in Arabicis, quàm olim in Græcis sex solidis mensibus. Destitit ille, missus à Rege Vlysiponem. Ego tamen postea nactus Galenum in Aphorismos, studiosè contuli Græca cum Arabicis, & fermè mihi visus sum, à Theologo degenerare in medicum: adeò me linguarum illa collatio ceperat. Nam ne ignores, fermè nihil est seriarum disciplinarum, quod non traduxerint Arabes, & ita traduxerint, vt putem eorum præsidio multa posse in mutilis Græcorum monumentis restitui, certè qui Galenum vertit, adeò mihi arrisit, & satisfecit, vt nihil magis cupiam, quàm omnibus omissis, illum conferre cum Galeno. Absolueram libros tres, cùm ecce alia cura, vt clauus clauum pepulit. Neque enim semper Arabicandum est: sed in tanta linguarum farragine, nunc Iudæi, nunc Græci salutandi sunt. Redeo ad Salmanticenses: omnibus gratias egi, detractata conditione, etsi gloriæ plena: cupere enim me patriam, & ea illic typis mandare, quæ prouehendis studiis faciant. Rogas fortè an Arabica velim excudere: Omnino, Ioachime, stat animus, vbi primùm rediero Louaniũ, parare characteres Arabicos, & tam iusta eius linguæ fundamenta ponere, vt queat orbis deinceps tam facilè lectitare medicos Arabes, quàm nunc legat Græcos. Quanquam ego hîc medicinam non spectaui,

sed

ſed ſacrorum codicum gratia ſic deſipere primùm cœpi: quorum dum laboro inopia, & linguę dulcedine titillatus fui, potius medicos legi quàm nullos. Egi non ſemel apud D. Damianum de bibliotheca Epiſcopi Nebienſis, qui libris Arabicis pulchrè inſtructus erat. oro vt & tu quoque memineris, vt ſciamus viuat, an mortuus ſit. Neſcio an Damiano ſpatium dabitur ſcribendi. Nullam vnquam omiſi occaſionem, quin & te & illum loquaciſsimè ſalutarem. Proximè de Poëta Clenardo narraui fabulam. & item de opimo illo ſacerdotio, quod mihi gratulatus eras. Præterea de Nigrinis, Dentonibus, & Carbonibus mancipiis meis. Etiam mirabar, cur à mortificis defeciſſes ad cauſificos: ſed tu vteris iudicio tuo, & amicorum, quibus fortaſsè quæſtuoſius videtur eſſe, ſeminare iurgia, quàm mactare diuites. Ego id modò conſulam, ne ſi rectè fuiſti transfuga, victus inexhauſti ſtudij moleſtia, temerè fias transfuga. Forſitan tu non minus quàm Vaſæus politioribus natus eras? Ille ſic ſe agit Salmāticæ, vt quotquot illic aut Græcè doceant, aut Latinè contabeſcant inuidia. Scripſerat ad me ſe hoc anno ſepoſiturū LXX. ducatos. Si perdurauerit, & occaſioni non defuerit, ſpero illum obtenturum cathedram, quæ valeat X C. millia nummûm: ea putatur propediem vacatura, in qua vbi viginti annis meruerit, natus annos X L V. redeat in patriam, & domi tantos prouentus comedat: interim in literis ibi verſabitur, & ſubinde poterit recurrere in patriam. Meritò altiſsimam nobis pacem gratularis, cùm tot vbiq; bellorum exoriantur tumultus. Statui tamen potiùs Neptunum tentare, quàm diutius ferre deſiderium patriæ. Valeat valeat Campenſis cum ſuis purpuratis. nihil illi inuideo. mihi vnus eſt Archiepiſcopus qui plus offerat, quàm cupiam: cui iam deinceps viuere ſtatui: ſic ſpero me dimittet, ne mendicem in patria. Et quid, Ioachime, præter neceſſaria hîc expetimus? Vbi multi opes, inquit Salomon, multi qui eas comedant. Hoc mihi crede, non eſt felicitas in diuitiis.

diuitiis. ἀλλ' ἐν τῇ αὐταρκείᾳ. Suis contentum esse certissimæ sunt diuitiæ, vt ait Cicero. Sed facessant conciones. Houerio gratulatus sum reditum ad suos, non sine iocis. De Damiani nostri vertigine, quod scripsisti gratissimum est. Faxit Deus, ne quorundam exemplo, doleat se tantùm tribuisse medicis: mihi magis placet διαίτα, quàm sexcenti medici. Ad Resendium misi literas, sed domi non erat. Quòd de ingenio eius scripsisti poëtico, verè iudicasti. Necdum vidisti carmen de morte Erasmi, quod nuper misit ad Damianum. Damianum resaluto, & tamen ipse paucis, si potero, cum eo agam. Vale, mi Ioachime, & me, vt facis, ama. Eboræ VIII. die Iulij. Anno XXXVII. Ignosce nobis barbariem, vix mihi licet esse Latino.

NICOLAVS CLENARDVS D. MARTINO A VORDA, S. P. D.

QVIDNAM agis, Martine charissime? Iam fermè in ipsam peruenimus Africam. Siquidem cùm optimè atque felicissimè viuerem Salmanticæ, vocatus sum à Rege Lusitaniæ conditione honestissima. Doceo fratrem Regis, eo salario, quod pluris duco, quàm canonicatum Antuerpiensem: munus est parui admodũ laboris. Adeò principem stata quadam hora docemus, aut suauiter confabulamur. Quanquam non quotidie: multas enim ferias habeo, primùm diebus Dominicis & festis: deinde vix est hebdomada, quin vnus & alter sit dies immunis, partim venando, partim aliis de caussis. Ego interim domi cano mihi & Musis. Quid enim facerem Theologus in venatione? nisi fortè putas me practicum factum Theologũ, & omissis quæstionibus: An, Deus est, sit propositio per se nota, nunc cœperim venari sacerdotia: præsertim cùm istud facere soleant Theologi aulici. Non venor quidem, & tamen mihi dormienti aliena cura plus hic propediem cõferetur

sacer-

ſacerdotiorum,quàm vnquam apud vos litibus perpetuis conſequi potuerim. Ergo,inquis,fies pluralis:Capiam omnia circumlocutiuè , & incomplexè, pro vno ſimplici,& opimo ſacerdotio. Quem enim fructum haberem ex ſtudio dialecticæ , niſi re ipſa tractarem Dialecticam? Ludis, inquies , imò ſerio tecum ago : nam cùm ſint duæ partes Dialecticæ , altera quam κριτικὴν vocant , hoc eſt , iudiciariam , quam in libris Priorum tradit Ariſtoteles : altera τοπικὴ, id eſt, localis,quam doctiſsimè perſequitur octo libris Topicorum : viſum eſt mihi conſultum,vt omiſſa Stoicorum parte,nempe ſyllogiſmorum , hos enim illi exactè & ſpinosè tradebāt, eam potius portionem amplectar,quæ eſt de inuentione,hoc eſt, libros Topicorum, qui docent inuenire argumenta : & non ignoras ſex vltimos libros nos Louanij vix legere . Sum igitur totus in iſta Dialectica: faxit Deus,vt hîc feliciter inueniamus medium, nō in ponte aſinorum , ſed in theſauris Luſitanicis (ſunt enim loci Dialectici,tanquam theſauri,in quibus latent argumēta)quo poſsimus iſthic apud vos tandem bonos facere ſyllogiſmos.Putas me perpetuò ludere. & meritò: quid enim facerem aliud in tanta felicitate ? orabis Deum vt hunc curſum mihi conſeruet incolumem . Tu viciſsim quomodo valeas , quid rerum geras, vbi viuas,fac me certiorem.Habes Louanij Rutgerum Profeſſorem Græcum:per illum curabuntur tuæ literæ. Aulæ noſtræ ſtatiua ſunt Eboræ: diſtat vltra Vlyſsiponem itinere bidui. Ad finem mundi iam peruenimus,cùm vos pigri vix patriam exire audeatis . Vale,mi Martine,& me, vt facis, ama.Eboræ VIII. Calend.Maij. An. M. D. XXXIIII.

NICOLAVS CLENARDVS D. MARTINO A VORDA, S. P. D.

SEMEL atq; iterum ſcripſi ad meos,vt certior fierem de valetudine tua . Rogo ſi adhuc ſuperes , videam literas tuas,& ſtatum rerum tuarum. Ego per gratiam Dei

Dei ſic valeo, vt nunquam in vita vixerim ſuauius. Princeps meus iam opera mea vſus eſt triennium, vbi abierit quartus annus, ſpero adornabo reditum in patriam. Quæris quid agam? Non ſatis fuerat mihi linguarũ, niſi etiam me inficerem ſermone Afrorum horridiſsimo. Itaque multis diebus verſatus ſum in lingua Arabica, non rarò interim titillatus deſiderio petēdæ Africæ: diſtat hinc L X X X. miliaribus totius Africæ emporium celeberrimum Fes: vbi multi ſunt literati, tam in Hebræis, quàm in Arabicis. Si ſpe diutius cogar manere in hoc exilio, credo dabitur occaſio partem Africæ luſtrandæ. Poſteaquam enim incepi peregrinari, bene peregrinandum eſt, vt vbi rediero, liceat vos grandibus mendaciis attonitos reddere. Nouarum rerum nihil habeo quod ſcribam, niſi ſi ſcire libeat, quid mihi hìc noui contigerit. Nunquam putabam me futurum dominum, iam tamen ſeruos poſsideo tres. Audi nomina, vt rideas magis, Michael Dento, Antonius Nigrinus, Sebaſtianus Carbo: hi ſunt Aethiopes, quos ſic inſtituo, vt mihi queant aliquando eſſe lectores, & ſcriptores: quod ſi Deus vitam prorogauerit, cur non poſsim ex eis facere Theologos, vt non minus Eſaiam geſtiant legere, quàm Aethiops baptizatus ab Apoſtolo Philippo? vbi habuero quartum, quid reſtabit, niſi vt literas eos doceam Chaldaicas, vt quatuor illis contigit in Babylonia? Alij purpurati ſimias in delitiis habent: ego dum ſtudendo ſum defatigatus, oblecto me iſtis ſimiis ratione præditis. Latinè diſcunt velint nolint: aliud enim ex me non audiunt, iam vtcunque pingunt, ſic vt legere queas. Natu minimus conſtitit aliquanto pluris, quàm triginta ducatis: ſi quis mihi reddat ducatos centum; nō eum addicerē. Poteram ingenuos miniſtros mihi parare, verùm vbi docti à me fuiſſent, me reliquiſſent: iſtis quod impendo, mihi impendo. Si ſenectute deſipere incepero, vicarios faciam ſeruos ſapientes, vt aliquid ſaltem ſapientiæ retineam. Habes res meas, inuicem ſcribes de tuis.

Ora Deum vt vobis amicis intra paucos dies aut menses restituar. Si literas tuas merebor, eas mittes ad M. Rutgerum Rescium professorem Græcum Louanij. Suspicor nos hoc vere profecturos Braccaram: nam Princeps meus, Regis frater, Archiepiscopus est Braccarēsis, nuper initiatus sacerdotio, & omnino inuisendæ sunt oues. Arbitror eadem opera nos salutaturos diuum Iacobum Compostellæ: non enim inde longè distat. Si adesses, videres Theologum valde expeditum, scilicet vt pueri sunt, qui in supplicatione Louaniensi alligantur equis ne decidant. Vale, charissime Martine, & exulem precibus tuis adiuua. Eboræ x. Ianuarij, Anno M. D. XXXVII.

NICOLAVS CLENARDVS RVTGERO SVO, S. P. D.

HODIE Pascha est, mi Resci, & rebus diuinis animus occupandus fuit: dulce mihi tamen est, vel sic leuiter tecum fabulari: quęroque quid dicam, quod literis tuis mihi ad plenum respondisse videar. Quid ergo? in mentem venit, vt sus Mineruam doceam. Qua quæso in re? In filio tuo Ioanne. Est hîc nobis in ædibus D. Archidiaconi hospitis mei, puer bene ingeniatus, natus patre Gallo, amicissimo Archidiaconi. Cùm primùm indolem fuissem contemplatus: Cur, inquam, Dionysius non discit Latinè? Voluit pater (is mercator est Vlyssipone) vt vernaculam linguam probè queat scribere. Dissuasi facilè: sed quomodo formabitur in Latinis, quando hîc ludimagister non admodum Latinè loquitur? Recipio, inquam, ad me: tantùm adsit perpetuò nobis comedentibus, & assuescat. Sic discet Latinè? quidni? vos nónne Lusitanicè iam nostis, nec præterea præter consuetudinem, vllum habuistis præceptorem? Etiam: verùm alia res est Latina. imò prorsus eadē: & sic olim Romana iuuentus instituebatur. Quid multa? iubeo vt quotidie ad meum veniat cubiculum,

&

& tanquam per iocum rem incœpto, potiùs animi cauſa, quàm vt ſeriũ laborẽ voluerim capeſcere. Nónne, inquis, docuiſti declinationes & coniugationes? minimè gentium. Dic quomodo puerum Luſitanum tractaſti, qui ipſe ne ſententiam quidem vnam efferre potes Luſitanicè? Libellum paruulum concinnabam, & ſcribebam vnum atque alterum verſum: Salue domine, vt vales? benè? ex animi ſententia. Id legebat & vel memoriter dicebat, prandentibus nobis, aut etiam recitabat. Singulas voces vt non aſſequeretur, conſueſcebat tamen occurrenti ſtatim dicere: Salue domine. Et ego omnia Latinè, & tu quoque. Vales rectè? hærebat quid reſponderet. & quamuis verbo vernaculo non poteram, geſtu tamen docebam, vt diceret: Etiam domine. Iam ſequenti die: Quomodo valet dominus Archidiaconus? fecit rem diuinam? vbinam eſt? domi an in templo? Et hæc quoque è libello recitabat: quin & ridendi & iocandi gratia, Græcula etiam aſperſi: πῶς ἔχεις ὦ φίλε; καλῶς; κατὰ γνώμην, ὡς δύναμαι, καὶ μὴ ὡς βούλομαι: quæ legebat me præeuntem imitatus, non quòd vllum characterem dinoſceret, niſi quòd verſum primùm cùm videret, formabat vocem πῶς ἔχεις ὦ φίλε, & ita in cæteris. Ne longum faciam, ſenſim ita puer creuit, vſu & lectione eiuſmodi quotidianarum oratiuncularũ, vt omnia iam intelligat, quæ inter comedendum referimus, nec quicquam niſi Latinè apud me vel audit, vel loquitur: quãdoque confabulor horam vnam, & omnia probè intelligit, & orationi aptè ſubſeruit: & tamen reliquo fermè tempore, domi nihil audit præter vernaculum. Quid non efficiat tuus Ioannes, qui ſæpius domi cogitur audire Latinè, quàm Teutonicè. Meus ſi eſſet, nihil attingeret Grammaticæ, priuſquã vſu linguã didiciſſet. Agit annum ſeptimũ: ſcribãtur ei quotidie verſus aliquot de iis rebus, quæ domi geruntur: Ioannes vbi eſt mater? In culina. Quid agit ancilla? concinnat lectos. Abi, defer hunc libellum ad prælum: dies diem docebit, & ſenſim eò promouebit, vt iſtis Grammaticorum canonibus,

vel ipſe per ſe legendis ſufficiat, vel non admodum opus habeat. Nec ob id malè diſcet, quod quadriennio forſitan loquetur non ſatis congruè, vt ita dicam. Quid periculi, ſi decimo demũ anno ea vitia corrigat? Quanta moleſtia liberaueris puerum, ſi hac via iuſtituas? Vitabis tamen orationes longas, & ſemper ſexto & aut ſeptimo verbo ſit abſoluta periodus. Deinde omnia ſcribantur διαλογικῶς. Nec magni feceris, tametſi ſingulis paginis videbuntur fragmenta modò dialogorum. Sed ego ſtultus, mi Rutgere, qui hiſce de rebus te moneam. Vt tamen ſtulteſcam bis eadem epiſtola, hoc etiam addendum, Quinctilianum, ſi hodie adeſſet, nõ daturum conſilium, vt noſter Ioannes à Græcis incipiat: alia cõditio illius temporis, alia præſentis, vbi non ſunt, quorum quotidiana conſuetudine linguam diſcat. Lubet & aliud narrare, quo magis tibi perſuadeam, non contemnenda eſſe hæc mea conſilia: Eſt hîc puer quidam quadrimulus, patre ſic ſatis Latino: is filium tenellum Latinè docuit, haud aliter atq; vulgus hominum factitat in idiomate vernaculo. Miraculo nobis fuit. Iam annus eſt, cùm coram principe meo, memoriter carmina quædam recitaret è II. libro Aeneidos, & orationem illam Laocoontis, tanta velut auctoritate pronunciabat, vt grauius auctor ipſe non poſſet. Cumq́; pergeret, & Poëtam ageret. Sic fatus: Validis ingentẽ viribus haſtam, &c. Videbar mihi videre trementẽ machinã, tam pulchrè geſtum fingebat. Quodq́; mireris etiam, diſcrimina generum, & temporum egregiè nouit, & nihilò peior noſtratibus, qui annum fortè agunt decimũ, niſi quòd tanta linguæ peritia, in infirmam ætatem non videtur cadere. Paucis ab hinc diebus, vnà cum patre fuit apud nos in prandio, & iuſſus à me poſtridie datis literulis ſalutauit. Mitto ipſam chartam, vt magis de Ioanne tuo ſpem bonam foueas, ſi modò vſu potius nitatur, quàm carnificibus Grammaticis. Vale, mi Rutgere, partim heri, partim hodie, hoc eſt, poſtridie Paſchæ: ſiquidem heri ſcribentem interpellabat cœna. Et non eſt

mihi

mihi mos, vt post vespertinũ cibum, librum vel saltem inspiciam: etiam si ante octauam redeam ad cubiculum, protinus me ad nidum confero. Antelucana studia sic amo, vt malim hora prima lumen poscere, quàm lucubrare vesperi. O charissime amice, rogo vt vicissim longam epistolam scribas, & suauiter mecum pristino more garrias. Eboræ postridie Paschæ, Anno M. D. XXXV.

NICOLAVS CLENARDVS RVTGERO SVO, S. D. P.

REDEVNTI mihi nuper à Principe meo, Cœlius Faustinus reddidit fasciculũ, in quo literæ tuæ inerant binę, nec adscriptum erat de die: quę quàm fuerint mihi gratæ, frustra fecero si tibi studeam declarare. Equidem non magis gauisurum puto, cui ex insperato sacerdotium aliquod opimum obueniat. Sint igitur hæ sanè literæ, charissime Resci, instar duarum præbendarum sub eodem tecto, vt illi vocant: quî enim minus nostris istis beneficiis dispensationẽ inuidebimus, quã illis indignissimo nomine beneficiis: quę tam malos faciant sæpe possessores? quiq; tam tetrico semper vultu nũmos suos somniant, vt ridere nõ possint, nisi fortè ad lactucas asini, cũ Crasso illo, quem vocauerũt ἀγέλαστον. Nos rideamus, & securi spernamus istas nugas: dicamusque insultando vniuersis sacerdotiis: Vbi vos habere volui, non potui; vbi potero, non volam. Ne mireris, optime Rutgere, stultitiam meam, nihil facio noui, sed omnium tibi mortalium mores in me commonstro. Quis est, quem victoria non facit insolescere? Quis fermè non foras lingua promit, quod gestat in pectore? & me putas apud te silere posse, & nõ apertè clamare, quòd hic viuam suauiter? Valeant iam curę, valeãt solicitudines, & mordaces cogitationes de parã dis opibus in posterũ. Quid, inquies, adeò nobis repẽtè Crœsus factus es, vt sic tibi placeas? Imò Crœso beatiorẽ me puto. Deliras Clenarde, et fallaci somnio te ipse

decipis. Vtinam hoc ſomnio diu frui liceat: vtinam hãc mihi Deus mentem ſempiternet. Dic ergo apertè, quid eſt, quòd ſic gaudio geſtis & exultas? Omnis diſputatio, auctore Cicerone, debet à definitione proficiſci. Age igitur, certiſsimæ ſunt diuitiæ, ſuis eſſe contentũ. Has ego, mi Rutgere, iam teneo: nõ quòd educatis metior felicitatem, aut tam iis abundem, quàm pleriq; forſitan ſuſpicantur. Nam vt id obiter aſpergam, ducatum ego Luſitanicũ non pluris facio, quàm iſthic faciebam philippeum. Si capio multum, expendo multũ, nec animum adiicio ditandis hæredibus. Suppeditat Rex quæ vſibus quotidianis cõueniunt. Stulteſcere nolo, vt plus requiram, quàm ipſe in præſens indigeam. Si dederit Deus ſenectutem, adiiciet, ſpero, viaticum: ſin minus, quorſum opus eſt in crucibus viuere, vt diues moriaris? Lamentatus es nonnihil in epiſtolis tuis, & dum aliorũ mihi fortunam commemoras, tanquam ſortẽ tuam deploras. Ego te contrà ditiorem illis omnibus, & feliciorem dico. Rectè Salomõ: Melior, inquit, eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua, & inſipiens. Habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum. Perge vt facis, labore quotidiano Deum tibi demereri: Pluris mihi eſt, quòd iuuentutẽ doceas, et quòd anguſtia rei familiaris intra ſeruitutem Dei contineris, quàm neſcio quæ præbendæ & cauſificorum capturæ. Qui repentè diteſcunt, etiam ſi ad extremam redigãtur inopiam, animũ tamen ſemper à pietate ferunt alienũ. At quibus Dominus τῆς πενίας τὸ φάρμακον principio clemens admonet, apud eos ita religio radices agere conſueuit, vt etiam ſi poſtea diuitiarum ſpinæ ſuccreſcant, frumentũ tamen bonum, cõſuetudine dulci, conſeruetur. Habent ſe res tuæ iam melius, ſpes eſt fore, vt aliquando ſeſe habeant optimè. Dum ago in hoc exilio, Deum precibus noſtris fatigemus, vt aliquando cõmunem nobis ſenectutis ſedem capiamus. Vale optimè Rutgere, & nugas meas boni conſule. Cras pergemus in fabula. Eboræ XXIII. Martij.

NICOLAVS CLENARDVS AMICO INTEGERRIMO RVTGERO RESCIO, S. D. P.

GRATVLOR auctam tibi familiam, alteram prolem maſculam cælo redditam, vt patrem Deo commendet, alteram in terris ſuperſtitem: vt quemadmodū Ioannem filium viris aliquando imitandum formabis, ita Corneliam fortè Gracchorū olim per te videamus. Nihil fuit tota lætius epiſtola, quòdque me magis apud Rutgerum ſiſteret, quàm tua illa verba: Hæ ſunt præcipuæ opes meæ. Venit enim in mentem prouerbij tui: Non ſimus miſeri ante tempus: quod ego, mi Rutgere, in hac peregrinatione ſic memoria ſæpius tractaui, vt ſenſim dicere ſim auſus, ne in ipſo quidem tempore ſimus miſeri: quādo nullum profectò eſt tempus, in quo miſeri eſſe cogamur, niſi ipſi velimus. Iam me ad illud Horatianum compoſui. Lętus in præſens animus, quod vltra eſt, oderit curare: & quantum licet, Euangelium audio, ne quid curem de craſtino. Ago gratias Deo, quòd peccatorem tandem ad hanc mentem venire cōceſſerit. Iam agitur quadrageſimus ætatis annus, & quot, bone Ieſu, minores extincti ſunt? quis ſcit an die craſtino ſpirabo? Proinde, mi Rutgere, ne te crucient multorum diuitiæ. Si tibi ſalutares eſſent, iamdudum præbuiſſet, cui filiorum ſuorū ſalus eſt chariſsima. Longè potiora dedit, vt laboribus ſufficias, quos inſtituenda iuuentus requirit. Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, inquit ſapiens, in nouiſsimo, benedictione carebit. Iacta, vt facis, cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet. Tandem (mihi crede) futurus eſt Rutgerus Louanij, quod Badius Lutetiæ, quem virum velim, vt, ſi eò te conferas, meo ſalutes nomine. Tu hoc fortè loco cogitas, beatùm me iam, & bene nummatū, facilè poſſe de tenuiori diſputare fortuna: & illud occinis: Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. Imò verò feliciſsimus ocio, nihilo re nummaria te ſum præſtantior. Vbi multę

opes, multi & qui comedunt eas: & iſtic centũ philippiorũ prouẽtu magis mihi placere poteram, quàm hîc quingentis ducatis, ſi modò data fuiſſet ſtudiorũ tranquillitas, vt omittã optatiſsimas mihi ſemper diuitias, de iuuẽtute ſtudioſa ſemper bene mereri, & laboribus ignauiam excutere, omniũ malarum artium matrem. Atque, vt ne me mutatum putes, nihil magis in votis habeo, quàm quicquid reſtabit vitæ in poſterum, totum aliorum inſtitutioni conſecrare, & cum Cleante laboribus immori. Id ſi non præſtabit patria, nec reducem alere poterit, moriar in exilio, & perpetua peregrinatione, diſcam humanam ſortem: vt cogitem me alienã patriam inquirere, & peregrinari à Domino, quamdiu verſor in hoc corpuſculo. Nam quòd vos iſtic ſomniatis fore, vt bene ſaginatus domum reuertar, & auro Luſitanico inertem paſcam ſenectutem: id verò ſomnium eſt. Sat eſt, ſi redeam melior & animi bonis inſtructior. An ego ſedem ſtudiis delectam, mordacibus iſtis, & pecuniariis curis inquietabo? Non poſſum, mi Rutgere, nec volo: magis mihi libet in diem viuere, & harum rerum nullam rationem ducere. Quando ita fermè comparatum video, vt ſimulatq; parandis opibus animum intenderis, frigeant ſtudia. Hoc propoſitum ſi aliis ſtultum videtur, orabo Deum, vt Apoſtolum ſuum fortiter inſtillare faciat: Habentes victum & amictum, his contenti ſimus. Nimium nimium, mi Rutgere, vitiis noſtris indulgemus. & nihil tam facilè comminiſcimur, quàm quod cõtra Euangelicam illam αὐτάρκειαν bellum gerat. O ſi queam hanc mentem retinere, nihil certè velim magis. Ora, quæſo, communem Dominum, vt etſi diuites, etſi pauperes, etſi foris, etſi domi viuentes, ſibi tamen viuere faciat, non mundo. Gaudeo verò, & ex animo tibi gratulor amicitiam Petri Nannij: Non poteſt eſſe vir improbus, quiſquis colat meum Reſcium. De illius literis, quid me attinet dicere? αὐτὸν τὰ συγγράμματα δείξει. Hominem ex me ſalutabis quàm diligentiſsimè: non poteſt non eſſe meus, qui ſit Reſcianus: Bene vale,

optime

optime Rutgere, & ſi nimium tibi videatur epiſtola theologica, nec ſatis Latina, veniam dabis Arabicantibus: fermè calamum Latinum proximo menſe perdidi. Cras fortè rurſum fabulabimur. Núc conuolo ad Euangelia Arabica: de quibus aliquid tibi narrare libet. Nactus ſum codicem deſcriptum, & verſum ab hinc annis ſexcentis. Habeo & aliud exemplar ex eadem tranſlatione deſcriptum. Reperio pleraque omnia ſic ſe habere, vt hodie legimus in Græcorum codicibus, quos ſequutus eſt Eraſmus. Illud Ioan. vlt. Si eum volo manere. Et illud in Luca: In terra pax, hominibus bona voluntas: & reliqua quæ Eraſmus reſtituit, omnia ſic habent Arabes: ne putemus olim aliter legiſſe Græcos, quàm hodie ſonant vulgata exemplaria. Nullum non moueo lapidem, vt epiſtolas Pauli conſequar, & reliquos ſacros codices: omnia enim ſunt apud illos iam olim verſa. Quin & ſcripta Thomæ quædam verterunt, & alia quàmplurima. De ſacris mihi præcipuè cura eſt, quæ ad vtrumque attinent Teſtamentum: & iam Pentateuchum quidam habet, miſſurus vbi voluero. Hæ meæ ſunt opes Rutgere, quas multi non pluris facerẽt, quàm ego eorum aureos. Si his moribus, & ingeniis nati, & facti ſumus, feramus alter alterius vitium: non poſſumus omnes eſſe Crœſi, nec omnes poſſumus videri Grammatici & γλωττόβοροι. Rurſum vale. Eboræ II. Octob. Anno M. D. XXXVI.

FINIS LIBRI I.

NIC. CLENARDI
EPISTOLARVM
LIBER II.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXVI.

CVM PRIVILEGIO.

VIRTVTE, NOBILITATE, ATQVE ERVDITIONE PRAESTANTI VIRO D. THOMAE REDIGERO CAROLVS CLVSIVS, S. P. D.

QVAM *familiaris & amicus fuerit Clenardo Ioãnes Vasæus, vir Græcè & Latinè doctissimus, generose Redigere, testari possunt, cùm simul suscepta profectio Hispanica, tũ pleræq; ipsius ad Vasæum literæ. Clenardus postquam ex Mauritania rediit, Granatæ obiit. Vasæus professionẽ Græcæ & Latinæ linguæ Salmanticæ adeptus, in eodem munere perstitit vsque ad extremum diem, qui incidit circiter viginti annis à Clenardi morte. Hæc ideo commemoraui, quòd mihi per Hispaniam peregrinanti, familiaritatem contrahere contigerit Salmanticæ, cum ornatissimo viro Augustino Vasæo Ioannis filio, qui cùm multa de singulari inter patrem & Clenardum amicitia narraret, ostendit mihi plurimas Clenardi schedas* αὐτογραφὰς, *quas apud Vasæum reliquisset, atq; etiam aliquot eius ad patrem epistolas & alios eruditos viros. Statim placuerũt illæ mirũ in modum, mihi persuadens iisdem dotibus præditas esse, quibus erant illæ quas Louanii excusas aliquãdo legerã. Sed cùm earum exemplar minimè permissurũ Vasæum scirẽ, arte tractandus mihi fuit, vt eas consequerer: siquidẽ omnino apud me constituerã eas aliquãdo in lucem proferre, rem gratam omnibus studiosis proculdubio facturus. Non possunt enim nõ lectorem oblectare rerũ varietate, & eũ allicit eius florida oratio, nõ illa quidẽ elaborata, sed tamẽ pura. Nam cùm ab ineunte ætate linguarũ fuerit studiosissimus, ad quarũ cognitionem indefesso studio totus ferebatur, vt stylum formaret, non admodũ fuit solicitius.*

Argumento tamen est eius pura dictio, licèt extemporanea, quàm disertè scribere potuerit, si peregrinarum linguarum (in quibus fuit ἀυτοδίδακτος*) præsertim verò Arabicæ* μανίᾳ *non adeò laborasset. In quadam certè ad Vasæum epistola seriò dolet, plus temporis stylo formando non se dedisse, eúmque monet vt suo exemplo doctus, totum se eloquentiæ studio tradat. Licèt (inquit) mihi nunquam eloquentiæ studiũ displicuerit: nũquam tamen imperare mihi potui, vt vel iustum tempus operámq; in stylo formando ponerem: aut quicquid id esset quod scriberem, ad limam reuocarem. Qua de re seriò doleo. Cùm enim rem propius aspicio, lóngè satius fuerat cum amicis pressius agere, & breuius aliqua adhibita vel arte, vel diligentia, quàm multarum horarum dispendio prolixiores quidem effundere literas, sed quibus describendis id modò consecutus sis, vt malè & tumultuariè garrire possis, prudenter atque disertè dicere non possis. Oro te, mi Vasæe, vt exemplo meo doctus, iuuenis discas euitare, quod seni mihi iam non licet.*

HAS *epistolas, cùm ex Hispaniis reuersus, Plantino diligentissimo Typographo excudendas tradere vellem, dispiciendúmq; esset cuius potissimum patrocinio fultæ in publicum prodire possent, tu vnus occurristi, qui hanc prouinciam suscipere idoneus es visus: meminéram enim quàm earum quæ excusæ sunt lectione aliquando Louanii delectatus sis. Eas igitur superioribus coniunctas, tibiq; dicatas in publicum proferre placuit. Tuum erit hoc tenue munusculum ex* Hispaniis *erutũ, pro tua singulari humanitate boni cõsulere.* Bene vale. Brugis Flandrorum, *Cal. Ianuarij,* M. D. LXVI.

NICOLAI CLENARDI

EPISTOLARVM

LIBER II.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO IOANNI VASAEO.

SALVE, mi Vaſæe. Multa complectitur epiſtola tua,quibus me hominem iam planè aridum inter ardentes Arabes difficile eſt reſpondere : tamē tanquam aphoriſmicam reſponſionem habeto. D. Fernandus hos ſex menſes præſcripſit aſſequendæ Cathedræ; id licet nec ego prædixeram, tamen conabor quid poſsim efficere: certè de ipſa Cathedra nihil deſpero, etiam ſi omnes amici deſtituerent. Largitus eſt mihi Deus quo aliquid valebam Louanij; puto vbi in publicū prodiero,non defuturos amicos plurimos, etiam eos quibus nondum de facie ſum cognitus. Itaq; quod identidem tibi murmuranti reſpondere ſolebam, id multò certiore iam ſpe replico,nos felicisſimè in Hiſpaniam veniſſe, tantùm Deus incolumitatem ſeruet. Abſtine verò iſtis tuis nugis & adulationibus, vt te clientem iam voces, habebimus omnia communia. Iam enim præſagio animo ædes communes menſamque communem, & Salmanticenſem conuictum. tu tantum interim quāto me iunior es,tanto ad omnem molem moleſtiarum animo ſis infractiore. D. Prætori ſcripſi, & gratias, vt debui,egi; de filio omnia,ſpero,euenient vt volumus.ſeruabitur ad tempus apud me, vt, vbi tu veneris, in docendi munere ſuccedas. Ignoſces quòd tam facilè tua fide in meis rebus vti voluerim . ne dubites, antè ſex præſcriptos mēſes aut numerabo pecuniam, aut habebo Cathedram. Quod ſcribis id diſtuliſſe ſolutionem, neſcio quid velis, ſed id credo eſt epiſtola D. Marci.

Ad Hammoniũ scripsi de rebus meis, sed de libris quod ais in calce literarum nihil planè memini, negligentia aut obliuione potius factum est. Aliud erat, quod ipse quoque maximè voluissem, vt tua Hebræa Biblia ad me deferrentur, id curato proximo tabellario. De Latinis literis te hortabor, quòd te videam futurum aliquando Cathedraticũ Salmanticensem. Sed in ista ætate dũ licet, valeat iam neotericus iste tuus Deus, & Ciceronem aut Liuium legito, satis nactus es istius popularis loquentiæ. Hosti fidem seruandam etiam nunc dico. Ego certè si vocatus fuissem, non denegassem. Obdura, tentabimus aliquid, vt tandem gaudeas. Saltem istam maculam effugias, ne fugisse videaris. Habes credo ad omnia. Cùm videam iam statum rerum mearũ, etsi tenuium, tamen facilè intelligo minus mihi futurũ fuisse boni, si, dum ego volebam, hanc rupissem compedem. Itidem tu facito, fata viam inuenerunt, bona sunt ad quæ tua quoque te fata ducunt. Bene vale, mi Vasæe. Salmanticæ XVI. Februarij.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO AMICO SINGVLARI.

SALVE charis. Vasæe. Scripsi ad te nudiustertius nondum acceptis literis D. Fernandi. Heri præter spem allatæ sunt ad me. Certis legibus permittit me Dominus permanere Salmanticæ. Conabor vt hanc Cathedram assequar; id enim & D. Fernando, & mihi honorificũ maximè fuerit. Egi apud eum de libris ad me mittẽdis: quos si nuper habuissem, iam bonam accepissem præsentem pecuniam, iamq; illi (quando ita statuit) numerarem quinquaginta ducatos. Sine arca & rebus meis, nec illi soluere possum, nec me vt volo ad istam offerre Cathedrã. Rogo vt meo nomine huius summæ sis fideiussor, statim post acceptam capsam, missis pecuniis dissoluam fidem tuam. Valde mihi placuit domini senten-

ſententia: ſpero enim fore & tibi Salmanticæ hoſpitem amiciſsimum, & laudem quoque apud noſtrates, quod egregium patronum ducem profectionis habuerimus. Da tu interim diligenter operam literis Latinis: concepimus de te quoq; hîc meliorem ſpem, quàm ſit hæc mea, certè nõ inferiorem. Tantùm cura vt quia dicis te omnia fruſtra tentaſſe, ne fidem rupiſſe videaris. Fata viam inuenient. Si forſitan caſu tabellarius quiſpiam Hiſpalim iſthinc abiret, monebis Hammonium vt rerũ mearum curam gerat; vt ſi quid reliquum à blattis ſit et ſordibus, id iam ſeruetur. Animo fac præſenti perdures, acerba fuit ἐπίτασις mihi fabulæ, non minus quàm tibi: καταστροφὴν animo cerno longè optimam, etiã quæ vota noſtra ſuperet. Bene vale; mi Vaſæe, XXIIII. Februarij, Salmanticæ.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO AMICO PRIMARIO.

SALVE chariſs. Vaſæe. Acceptis iam tandem libris, hodie Græcam profeſsionẽ ſum auſpicatus, auditorio tam frequenti, vt locus deeſſet: cùm tamẽ è regione hora eadẽ quidam oppoſitionis, vt vocant, lectionẽ legeret. Cras iudicare licebit de euẽtu. Nam aderãt multi laudes Græcæ linguæ audituri, vt putabant: ad quos eandẽ habui orationẽ, quam ab hinc bienniũ Louanij, noſti morem meũ. Cur tu ex Arabico ſtudio in Grę̨cam profeſsionem? Tutius mihi viſum eſt frequentiam antè emereri, quàm pauculus iudicibus & teſtibus Arabicari: & tamen eodẽ quo cœpi ſpectant conſilia mea. Pertentabo his diebus hominũ ſententiam, deinde vbi viſum fuerit, virtute propria potius nitar; quàm ambitionibus & fauoribus. Teneo domi iam rationem, qua poſsimus etiam hîc longè à patria beati viuere. Obdura, iam eandem ſpem de te concepi. Perge modò ſtudia tua moderari, vt nuper te hortabar. Spero aliquãdo res ipſa clamabit, nec te nec me fruſtra veniſſe in Hiſpaniã.

Valde

venit tabellarius, quàm modò. Tertio die Nouembris vbi puerum miſiſſem ſciſcitatum de literis tuis & aduentu agaſonis, priuſquam rediret, veniunt ad me duo Doctores Theologi ambo Cathedratici: nunciant nomine totius ſenatus, mihi cõſtitutum ſalarium quadraginta milium, id eſt, centum ducatorum, & aliquanto amplius in ſingulos annos, hac lege, vt iuuentutem Salmanticenſem formarem, tam in Græcis quàm Latinis pro meo arbitratu, duas mihi ſumerem horas, legerem quicquid liberet, tantùm vt id illis condonarem ne diſcederem, id enim iam ſparſum erat inter diſcipulos. Audi iam quantum ambierim. Priuſquam res ageretur in ſenatu, multis conuiciis vix tandem id obtinere potuerunt à me quidam amici, vt non reiicerem quod vltrò me dormiente molirentur, timentes ne ſcilicet turpiter oblatum honorem defugerem. Itaque id modo vni reſpondi, facerem quicquid vellent, tantùm mei rationem haberẽt. Breuiter ſuſcepi prouinciam, hodieq; in poſſeſsionem, vt vocant, poſitus ſum, auſpicaturus hoc munus perendie, ſi Deus permiſerit. Conſtanter in ſenatu clamabatur, vt linguarum cathedram vacantem pronunciarent, capereturque de literis Clenardi experientia. nec quicquam obſtitit quominus fieret, quàm mea vnius voluntas: quod dicerem cuidam inter illos primario, deeſſe libros tã Hebręos quàm Arabicos, quibus omnino opus eſſet in hanc moderandam cathedrã: ſed interim inquam per ocium, ſi videbitur, dabimus operam vt aduehantur exemplaria. Multæ ſunt cauſæ, mi Vaſæe, cur ita rem iſtam temperauerim: potiſsima tamen omnium, quòd mea hæc eſt cathedra vbi velim: & priuſquam tam penitus inſideam inter Hiſpanos, alia quoque prius exploranda ſunt, de quibus longius eſſet narrare. Vnum hoc ſcito me id captaſſe, ex quo docere cœpi, vt honeſto prætextu prius Græcas literas propagarem quàm Arabicas. Habito in honeſtiſsima familia gratus omnibus. Orarunt me, vt filium ducis Albani ſuſciperẽ honeſto ſalario, nec tamen aliquo cum puero

prodirem, tantùm domi titulo præceptoris gauderem, ſtrennuè hactenus renui: quid futurum denique ſit, ignoro. Venit ad me quidam nomine Epiſcopi Corienſis, qui agit in Aula, ſed ſtulteſcere deſij, poſt illam primam compedẽ. Quo magis te ſedulò adhortor, ne quis te mortalium pelliciat, ſerueſq; te liberũ, donec vitam meam hìc deguſtaueris, nihil tibi deerit, aut mihi deerit. Spero nunquã pœnitebit profectionis Hiſpanicæ. Mordicus teneo, quod ex me ſæpius audire ſoles: Veniſſem nunquam, ſi hæc præſciſſem, at veniſſe gaudeo. Antequam vertetur hic annus, expecto & alios noſtrates. Nam Ioachimus Polites Zelandus ille qui in domo Rutgeri agebat, nuper datis ad me literis, ſcribit Ioannem Tarteſium, illum quem tantopere laudaui in Meditationibus meis, apud quem Sturmius docebat Pariſiis, vnà cum pleriſque aliis Profeſſoribus. ſcribit, inquam, hic Ioachimus è Burdegallia, eò veniſſe Tarteſium comitatum viginti Profeſſoribus, Græcis, Latinis, Hebræis: è quorum numero eſt hic Ioachimus. vocatus eſt enim illuc Tarteſius, vt Academiam inſtauret iam olim collapſam. Scripſit & è Louanio quidã diſcipulus ad me, quem expecto venturũ, vbi me reſciuerint firmiorem & ſtabiliorem Salmanticenſibus factum. Nam Rutgerus noſter putabat me abiiſſe in Italiam, alij ad ſuperos. Vis tibi dicam breuiter quod ſentio? res hìc ſpero tota innouabitur, nec deſunt permulti, qui mea conſilia probant. Vtinam te cum Hammonio iam ſocios habeam; inſtat enim graue bellum aduerſus Barbaros, quos aut ſi penitus inuiſos reddamus, aut ſaltem leuioris auctoritatis, velim vos quoque huius victoriæ participes, & ſocios potiùs quàm comites. Intelligo ex literis Hammonij te nihil aliud quã de patria cogitare. Oro te Vaſæe per amicitiã noſtram, ne ſaltem prouinciis diſiungamur; ſi nolis ad nos venire Salmanticam, ſaltem Hiſpaniam ne deſeras. Nimiſquam cupio vnà vobiſcum aut inuiſere patriam, aut ſplẽdidè & cũ honorẽ πόλλα χαίρειν φράσαι τοὺς ἰατρούς.

τους. Quod ad illum attinet, in cuius gratiam noluerim esse candidatus, non rectè sentis: neque enim est τῶν περιττημηκότων, sed optimo natus genere: Et vt minimè esset, tamen literarum gloria quouis illum honore dignum facit. Verùm quòd minimè putaram, ὁ τυφλὸς ἐκεῖνος ὥσπερ τοῦτι παρακολουθοῦσι, ταύτης τῆς καθέδρας ἔτυχε. Dominus autem Commendatarius lite rem persequetur, & mira quædam imminet tragœdia: futuram video magnam studiorum commutationem, in quam me Deus ὥσπερ τίνα κεφάλαιον οἶμαι ἔπαξεν. Oro vt res vertat feliciter. Hactenus grati fuimus, gratiores spero propediem futuri, vbi aliquot ex istis monstris cõfecerimus. De Magistro Adriano statuetur vbi coràm adfueris, nam feriæ meæ Demostheni sacratæ fuerunt. Iam verò quam prouinciam sustineam, non ignoras, ἄσπονδος καὶ ἀκήρυκτος ὁ πρὸς ταῦτα τὰ θηρία πόλεμος. Proinde necesse erit me præsenti seruire fabulæ, donec lætam viderimus comœdiam, nam nunc quauis tragœdia crudeliora sunt omnia & turbulentiora. De nuptiis sororis, & tanta apud nos rerum cõpia, est sanè quòd gaudeam. tu crebrò literas accipis à tuis: ego iam toto biennio vix binas à parentibns aut Rutgero; expecto tamẽ quotidie respõsum à Rutgero. Resendius hactenus nihil ad me. Quod de rebus Cæsaris nos certiores facis, omnino te decet, cùm iam & aulicus & homo sis. nos posthac ex hac vmbratili & otiosa vita bella gesta tibi significabimus, & victorias credo. nã ex multis annis carmen illud in Cicerone legi: Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Hactenus certè cõtigit Louanij, & quãdiu essem Parisiis. Hic quoq; bene spero Deum mihi ꝓpiciũ futurũ, & dextrè nos acturos ꝙ incepimus; tantũ ora ne quid nos trãsuersos agat, quod non sit in rẽ studiosorũ, οὐκ ἀπορήσομεν τῶν φθονούντων, bonus est enim hic ꝓuentus istiusmodi miserorũ; ἀλλὰ τί ἂν πάθοις. Δεῖ ἐμμένειν τοῖς ὡρισμένοις, καὶ ἀποθανεῖν μᾶλλον ἢ ῥίψασπις φαίνεσθαι. Bene vale, & marmora ista quę aduecta sunt diligenter curato. Salmanticæ, partim V. partim VI. Nouembris.

MARCVS noſter nondum rediit, nec ſcio quid ſuſpicari debeam. Iam duas hebdomadas ceſſat ὑπὲρ τὴν ἀποθεσμίαν. Vereor ne aula nos tali amico priuare conetur. Oremus Deum vt ſaltem valetudinem donet proſperam viro mea quidem ſententia digno, qui regnis multis præſideat.

NICOLAVS CLENARDVS IOANNI VASAEO. S. P. D.

SCIS, mihi chariſsime Vaſæe, multas eodem tempore ſcribendas eſſe literas, ſcis hominē tot linguarum farragini deditum, non multum valere ab eloquentia: & tamen iniquus rerum æſtimator, non videris excuſationem meam accepturus, niſi tam prolixis nugis te obruam, vt cum cæteris iſtic verboſæ loquacitatis notam meritò mihi tribuas. Ignoſcendum eſt tamen perverſo iſti iudicio, quando te ais ab heſterna compotatione prætextum petere, quo breuitatis tuæ culpam attenues dicam an exaggeres? Itáne tandem homo tot commoditatibus diues ac beatus, quas tanta inſolentia mihi modò narraſti, temporis anguſtiam cauſaberis? cùm præſertim ad eum ſcribendum erat, quem omniū mortalium ſoles appellare chariſsimum: Ego qui conuiuiis non diſtineor, nec purpuratis aulæis, nec lectis eburneis inſideo, ſed intra anguſtos parietes ſedentariam vitam exigo, adeò vt quandoque cum Maſiniſſa contendam, ego, inquam, quem tu tam petulanter nūc accepiſti, innumeris preſſus, vt putas, incommodis, tamen plauſtra literarum Salmanticam ducenda cōficio, cùm interim ſuauis noſter Vaſæus altiſsimo paſtus ocio, & opiparis occupatus conuiuiis, ocium ſibi negat fuiſſe prolixioris epiſtolę. Vtere fortuna tua, & quando iam regnare cœpiſti, & excellentiæ titulo ſalutari, excelle omnium regum inſtituta, vt quicquid tibi viſum fuerit, protinus iuſtum eſſe decernas. Scilicet hebdomada ſolida, qua iſtic hęſit tabellarius, nullus Clenardo

tuo

tuo dies aſsignandus erat, niſi qui pridianam adhuc redoleret crapulam. Exulta miſer, & geſtu tam graui onuſtus felicitate, buccina, ſi lubet, cortinas tuas, ὄψατε οἷα ἴδυσι διοτρεφέες βασιλῆες. ſic tamen, vt magnas inter opes inops, temporis adhuc penuria laborare videaris. ſed caue ne ſolus beatus eſſe perſeueres. ἀλλ' ἔτι τις καὶ ἐμοῖο θεῶν ὑπερέσχεθε χεῖρα. Sed ſtultus ego, qui animum philoſophicum opponere velim aulicaturienti iam iuueni, quique aut legatos ſpirat, aut ſcribas dulciter ſomniat. condonandum eſt ætati, quæ adhuc infirma, leuiculis ſpectris pellicitur, & quicquid impotẽter concupiſcit, plus æquo miratur ac laudat, præſertim quando ſi Venus eſſet propitia. Catharinariam familiam inſtituere cogitet, & bene vxorios viros has quoq; nugas magnifice prædicare conuenit. Boni igitur conſulemus glorias iſtas, & immodicam φιλαυτίαν tantùm Flacci verſum tibi accommodabo:

Vt tu fortunam, nos te Vaſæe feremus.

Huiuſmodi auſpiciis exordiri debebam reſponſionem, qui tanta libertate obiectas mihi ſordes prior audiuiſſem. Sin ludere voluiſſe te dices, cogites velim me quoque τὸ ἴσον τῷ ἴσῳ ἐπιφέρειν, & ruſticũ obtuliſſe ἀντίσκωμμα. Verùm iam ad epiſtolam ordine, idque vt meritus es quàm breuiſsimè. Victoria me ſalutauit doctiſsimè atque amantiſsimè. audi breuiter meam de viro ſentẽtiam. Nullius ab hinc triennium epiſtolam legi, quæ tantùm mihi probaretur. Dictu mirum quàm ſcribat neruosè, quàm aptè partiatur, quàm colligat acutè, & tamen omnia iucunditatis plena: ſi hac in parte viribus ſuis vti voluerit, egregium aliquando præſtabit ſcriptorem. Vide vt eum modis omnibus colas; nam & ille mirè candidus, omnes ſtudioſos amat vnicè, de te certè teſtimonium in literis edidit non vulgare: non continuò poteris opes illius introſpicere, quando vt eruditionis plurimum, ita oſtentationis habet prorſus nihil, quod & ipſum magnum veræ doctrinæ fuerit argumẽtum, cùm alioqui ſciolos iſtos videas vbiq; Thraſonicas

voces libenter iactare. Caſtellus noſter ſuauitatis eſt refertiſsimus, & mira facultate delabitur, & facilitate gratiſsima. ſed hominis amiciſsimi ſortem doleo, qui tot negociorum vndis immergitur, vt neque ſibi, neque literarum ſtudio ſatisfacere queat, & quaſi hæ quotidianæ moleſtiæ non ſatis excruciarent animum libris deuotiſsimum, etiam ſubinde cum podagra conflictatur. De noſtra neceſsitudine quid prędicare attinet, quandò teſtis eſt tota Salmantica? Platonis lectio vberrimum fructum tibi ſit præbitura, ſi modò permittent negotia, vt communicato labore pariter totum euoluatis: at vereor ne multa ſeſe offerant auocamenta, vt nec tibi ille morem gerere, nec tu illi viciſsim obſequi ſuſtineas. Habet quidem Lucianus plus iocorum, & phraſes Græcanicas exactè commonſtrat. In Demoſthenis nomine ipſa videtur habitare eloquentia. Hic tamen durior atque difficilior, ille futilis nimium & leuiſsimi riſus magiſter. In Platone ſemel omnia quæ vel ad elegantiam ſtyli pertinent, vel ad præcipuam doctrinæ partem. adde quòd plus tibi comparaueris auctoritatis citando Platone, quàm ſi legatum agens riſum perſona tua indignum commoueas, & omnino te video illuc ſpectare, ne diu vitam ſequaris vmbratilem, ſed in luce atque oculis hominum glorioſus feraris. Itaque ipſe etiam ſuaſerim, vt Platonis lectioni te tribuas, quem Cicero quanti fecerit, nuſquam diſsimulat. Eſt & aliud quod huc te meritò compellat, ſiquidem eò celebritatis ſubitò iſtic euaſiſti, vt pudori ducturus ſis Luciani dialogos prælegere, ſerium auctorem tua dominatio poſtulat, imò flagitat. Et iſti tui amaſij omnia parua faſtidiunt: magna de ſe prædicant ſemper, & magnificis promiſsis non tam capiunt quàm capiuntur. Itaque iam huiuſmodi quampiam chartam videre mihi videor, valuis affixam:

Ioannes Vasæus Brugensis crastino die præfabitur in libros Platonis de legibus, quos in gratiam studiosorum diligenter deinde statuit interpretari.

Accurrit, vt scio, magna protinus turba, quisnam iste? quid, tu ignoras Vasæum? Iuuenis est vtraque lingua doctissimus. Fuerat hic nuper Clenardus, & suspicabamur principiò mira, sed nihil contulit præter Grammaticos canones, & nescio quid ex Chrysostomo, quem sic interpretabatur, vt concionem potiùs habere videretur, quàm professorum munus agere; quasi verò nobis defuissent concionatores. οὗτος ἐκεῖνος ὁ βασαῖος, qui nunc enarraturus est PLATONEM PLATONEM; quid nobis opus erat Chrysostomo de modo orandi? si velit orare Clenardus, legat suum Breuiarium: nos decet Vasæus & Plato. Deinde quàm erat Clenardus rusticis moribus, vix quenquam aut salutabat, aut ad salutandum admittebat. Iste totus homo ciuilis & lepidus, omnes salutat officiosissimè, nouit nostra solennia: *Besolas manos.* ille Clenardus, nescio cur sic linguarum peritus diceretur, adeò fuit ineptus, vt nunquam bellè salutis quotidianæ verba sonaret, nunc basa, nunc boso, nunc bese los manes: quid non barbarissat? Vasæus expeditus est, & sic vernaculo sermone præditus, vt Hispania natum credas. An non ista istic dicturos autumas? Arripe igitur occasionem, & quia tam latè nominis tui gloria patêre cœpit, τὸν Πλάτωνα tanquam pignus habeto εἰσαεὶ αὖ τῆς πλατυνομένης. Et quid quæso conducibilius fuerit instituto tuo? iam enim vtcunque olfacio fata tua, præsertim testimonio literarum tuarum, vnde suspicor te Galliam inuisurum atque Italiam, priusquam aut scribam aut legatum te facias. nec erras planè à scopo, olim olim cùm rude seculū Bartholum aut Baldum ignoraret, nec tot iurgiis ferueret forum, Iuuenalis canere poterat:

Optima certè
Nunc via processus vetulæ vesica beatæ:

At hoc noſtro ſeculo, etiam ſi is indotatam Catharinam duceret, ſi modò proceſſus tractare voluerit, procedet pulcherrimè: vt enim veſtram iuriſprudentiam pauliſper alloquar, audi mea præconia:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces. tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

HANC vbi artem è tribus ſanctiſsimis regionibus, Hiſpania, Gallia, atque Italia, diligenter collegeris, tum te quoque eodem præeunte Virgilio, his verbis adhortabor:

Fœcundum concute pectus,
Diſijce compoſitam pacem, ſere crimina belli.
Arma velit, poſcatque ſimul, rapiatque iuuentus.

QVORSVM enim aliò ſpectant, quotquot hodie ſacras leges amplectuntur?

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm
Virtus poſt nummos.

ALIOQVI ſi Digeſtum vetus & nouum vel ipſo Vlpiano noueris melius, niſi aliquid de receptis technis deguſtaueris, inutilem deflebis ſcientiam, nec legatum te videbimus, nec ſcribam:

Aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid, probitas laudatur & alget.

VERVM iam tempus eſt, vt redeamus ad Caſtellũ, qui ſuo Platone tantum verborum mihi inuito ademit, ſed venerant in calamum, & currentem cohibere non poteram: ferenda tibi ſunt, aliâs tardior erit, & etiam ſilentium forſitan âget, ſi modò tu pergas, vel minimã temporis cauſari inopiam. Ais quoſdam audiſſe ex illo, pari oblato ſtipendio, me caſtra Sertoriana poſſe deſerere. Quid alij auditum prędicent, & quam in partem noſter amici literas fuerit interpretatus, vos iſtic melius pernouiſtis: me ſcias eiuſdem eſſe animi, qualem nuper ſatis hîc perſpexiſti. Dũ Marcus venerit da nobis omnibus operam, vt vtramque epiſtolam legat, quam

eodem

eodem illo tempore Castello miseram: neque enim vnam tantùm scripseram, sed & alteram, in qua tam apertè sensum animi mei sum testatus, vt portenti simile mihi fuerit hæc tua oratio. Ideoq; nunc breuiter cum ipso Castello sum acturus, tantumque admonebo, vt illam posteriorem relegat. Credo cæcus videret, quàm sim addictus Sertorio: nec mirum. quis enim non gaudeat tam celebri viro censeri, potiùs quàm eam ciuitatem incolere, cuius tu scribis non esse auctorem? Perinde siquidem apud me fuerit, quod ad nobilitatem attinet, non esse auctorem, & quòd tu dixisti non cõstare de auctore: nisi fortè te apud Athenienses habitare credis, & quando conditorẽ vrbis non celebrant, αὐτόχθονας mihi iactare volueris. Nec mirum profectò, propterea quòd tanquam terræ filius caducis istis commoditatibus nimium afficiaris. Sed tandem omissis iocis, seriò tibi gratulor, amantissime Vasæe, conditionem Salmanticensem, nec vnquam dubitaui futurum, quin D. Prætor nostras nostrati amicum egregium præstaret: reliqua iam sunt in te sita, vt sorte tua contentus viuas, tantam præsertim ocij copiam assecutus. Postridie D. Thomæ fuit apud nos in prandio Franciscus Lupus. rogabam nunquid istuc mittere liberet; iam enim abiturum tabellariũ: aiebat ante dies aliquot scripsisse se ad D. Prætorem, & eas literas, quarum meministi, remisisse, sic enim commemini. De nostro Marco quod scribis vtinam vanum esset: valde siquidem vereor ne grauior sit morbus, quàm putemus. vtinam iam redisset ad vos incolumis. Nam de studiis illius si spe fallaci non duceris, quis te felicior? Ego certè biennij consuetudinem cum illo transigendam tanti fecerim, vt vel sola migrandi posset esse causa. Sunt odiosæ comparationes, vt vulgò prædicant: tamen chariorem amicum hactenus nec sortitus sum, nec tam reliqui inuitus. Hoc mihi velim credas, postquam abij in Lusitaniam, sæpenumerò lacrymas mihi excussas, necessitudinis nostræ recordatione. & sentio, si hoc loco diutius insistam, mana-

manabunt oculi. Oro te, vbi ille redierit, vt hominem colas atque obserues. Valet consiliis, candore atque amore mirabilis, sic omnibus se nouit exhibere fructuosum, vt omnibus semper sit gratus atque iucundus. Apud Tagum exhibuisti specimen insigne, quàm esses appositus ad obeundas periculosas legationes, & facilè superare posse quasuis itineris molestias. Verùm vbinam didicisti istam artem equitandi? Priusquam hominem induisses, planè videbaris ineptus, & in morem globi in equo ligatus, huc atque illuc alieno trahi arbitrio; animam videlicet desijsti iam in dentibus habere, & animum habes bene animatum. Macte isto animo, audacia pro muro habetur: itaque facilè casum illum & fortiter ferebas, cùm in peruigilio D. Martini non suppeteret tolerabilis Bacchus. Nihil est ab omni parte beatum: pauci Deos omnes habent propicios. Neptunus non demerserat vos in Tago, Liberi patris numen alienius fuit. Hic fuit Comicotragœdia; nam benigniorem Neptunum iniquior excepit Bacchus. at vbi iam aliquanto propius accederes ad Salmanticam: interuenit cœnantibus vobis monachus nouarum semper rerum domicilium, occeptatque Tragicocomœdiam, rumor tristior erat: at in rem præsentem cùm venisses, omnia lætiora. Hæ sunt rerum vices optime Vasæe δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει: paucosque reperias, quin vita sua verissimum arguant illud Menandri, ἆρ ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος. Proinde si sapis, quando iam istuc tibi tanquam ad perpetuas epulas venisse videris, cogites sic festum celebrandum, vt semper alicuius amarioris poculi confinio sit condiendum. nam rursum mihi Attica versatur ob oculos, vbi in ὠσχοφορίᾳ, qui sacris intererant, has voces ingeminabant, εἶα ἀὶ, vt lætitiæ comitem significarent tristitiam. Proinde quãuis humiliorem proximo tabellario miseris epistolam, qui modò tam magnifica de felicitate tua prædicasti, nihil noui tibi accidisse putabo: imò tanto de Vasæo

spem

ſpem fouebo, magis auſpicatam, memor illius Homerici:

Τὸν περὶ μοῦς' ἐφίλησε, δίδου τ' ἀγαθόν τε κακόν τε.

Et ſanè hæc tua profectio, quid habet niſi imaginem vitæ futuræ? vt credas perpetuò tibi inter bona malaque luctandum. Si mihi quid grati facere cupis, domino Archidiacono, & conſanguineis non minus occurres per literas quàm mihi, idem cenſeo de Guilielmo, facilè mihi vel maximè breuis ſatisfacies, modò iſtos non omiſeris. Ales interim ſtyli facilitatem, & plus accreſcet nomini tuo quàm arbitraris. Nam de Dionyſio Correo monere ſuperuacaneum eſt, quãdo ipſe te prior nunc laceſſere voluit, meritò ſalutandus abs te prior, tum vt patris memor eſſe videreris, tum etiam pueri nomine, quo dares occaſiunculam aliquam tractandi rem literariam. Salutat te plurimum M. Nicolaus, Latinum illud maris refrixit, deſideratur enim commarinus, vox eſt noua, ſed nouo idiomati non illibenter admittenda. Scripſiſti ad D. Archidiaconum de Principe patriæ meæ, non admodum plauſibilia. velim vt proximis literis omnia ſciam exploratius: ſe res ſe habet vt modò narraſti, video tumultum iſtum qui hodie orbem concuſsit, aliquanto propediem futurum atrociorem, Rutgerus literas ad me dedit Anno XXXIII. die Michaelis, eas modò XVII. Decembris mihi reddidit Luſitanus quidam, qui Louanij inſignibus Theologicis decoratus eſt, frater Iacobus à Murtia, monachus Hieronymitanus, vide quàm ſumus infelices hac in parte. Accepi eodem tempore literas è Burdegallia, noſtri Ioachimi Politæ. omnino veniet in Hiſpanias, ſi detur tolerabilis conditio. Vide quid agat Straſelius. Suffectus eſt in locũ Petri Daneſij, qui relicta Pariſiis profeſsione Græcanica, ſe contulit in Italiam. Audiui hîc miranda quædam de ipſis Pariſienſibus. aiunt comprehẽſos ſupra centum ſexaginta, qui his natalibus Chriſtianis, ſtatuerant nocte in templa

pla hostiliter impetum facere, & Christianos trucidare: ante tempus resciuit Rex coniurationem, eoque nomine venit Lutetiam: animaduertit in plurimos qui viui traditi sunt Vulcani ludibrio. Rem non anxiè perscrutor. M. Nicolaus iam semel atq; iterum nobis narrauit, Veredarium hæc attulisse noua. Nolim ea spargas in vulgus meo nomine, tamen ne solus mala nobis obnunciares, libuit huius quoq; rumoris te facere participem, simul vt tu iis de rebus certius aliquid ad nos scriberes: quando tam penitus in aulicam migrasti familiam. Ego quàm sim ab aulæ sacris remotus, hinc licet coniecturam facias. Decessit nuper Regulus Fernandus, deinde paucis interiectis diebus maritum secuta est vxor, & gemino luctu proceres hîc pullati obambulant aut mulitant, vt verius dicam. Ego tamẽ dulci meo saginatus ocio, nec lugubri veste fabulæ seruio, nec prorsus dolore communi respergor. quid enim ni faciã? ὀυ γὰρ τὶς πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο. Domino Commendatario respondi, cuius tu salutatoris eum accepisti fructum, vt excellentiæ titulo fueris cohonestatus: equidem gaudeo illum tam propenso in nos esse fauore: verùm bone Deus, quantis partibus vinco: Dominatio, præstantia, excellentia, & huiusmodi solẽnia iam possessorum multitudine pro nihilo fermè ducuntur, ὀυ γὰρ καλὰ τὰ τυχόντα, ne igitur cristas hic erigas. sine me mihi placere, cuius epistolam sic laudibus effert, vt Musas credat non alio sermone vsuras, quàm Clenardico. Quis tibi videor? cui tantũ vnquam tribuit Commendatarius vt mihi? Abi igitur posthac, nec mihi obgannias Cerdonum titulos, Clenardianam eloquentiam solus ego obtineo, Musis tamen non inuisurus, si quando sic loqui velint. In summa si ex aliorum pendendum est iudicio, palmam mihi des oportet: sin frueris tua conscientia, non tibi concedam, vt plus capiaris ignoti parentis vrbe, quàm ego Ebora Sertoriana. Salutabis D. Prætorem: partim, quia illius salutẽ mihi Franciscus Lupus dixerat: partim, quia non potest mihi non esse

charus

charus, cui tua ſalus tantæ ſit curæ. Dominum Priorem cum matre, & breuiter tam propitiam in te familiam, etſi de facie non nouerim, propter te tamen ex animo ſaluto. Bene vale, pridie natalis Chriſtiani. Eboræ.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO AMICO NON VVLGARI.

AVDI fabulam; nō fabulam, ſed hiſtoriam. Factus ſum Aulicus, doctiſsime Vaſæe, ſed quàm potero aulicari, ipſe iampridē noſti: tamen iacta eſt alea: quod mihi diuino quodam conſilio factum eſſe videtur, ſtultum putabam ei reclamare. Louanij cùm eſſem, quis fore crediſſet, vt me Rex Luſitaniæ vocaret ad inſtituendum fratrem? Et tamen euenit, nec me mei pœnitet. Igitur reuerſus abs te noſter Marcus, me Salmanticæ ſtipendiis illis donatū repperit, vt tibi ſcripſi è Salmantica. Vixdū duodecim dies præterierant, ecce adeſt nobis Reſendius vnà cum literis Regis & fratris, vterq; aduentū meum optabant; obtulerunt centū millia: ſtatim ego illud cogitabam, Principibus placuiſſe viris nō infima laus eſt. Moliebantur me retinere Salmanticenſes, & iam agebatur vt mihi vltrò Cathedram deferrent linguarū; verùm ego illis pleno ſenatu gratias egi & valedixi. Vbi veniſſem Eboram, nam hîc eſt aula Regis, biduo poſt Regem cum Regina ſalutaui, fuitque tam gratus aduētus, vt mihi gratulatorium munus dari iuſſerit quinquaginta ducatos. Salutaui & diſcipulum meum Principem Henricum Archiepiſcopum Braccarenſem, & reliquum fratrem Eduardum, qui plurimū gauiſi ſunt. Cardinalem hactenus nō adij ob certa eius impedimenta, hodie, vt puto, aditurus. Mirè mihi placet hæc aula: habet enim doctos & Græcè & Latinè nō paucos: ne Salmanticæ quidem reperias, qui aut Græcè aut Latinè tam loquantur expeditè. Viuit apud me Reſendius, & diu, credo, viuet; ita enim placuit Regi.

Quid

Quid vis? longè hîc mihi puto fore maiorem ſtudiorũ tranquillitatem, quàm Salmanticæ, quæ res potiſsimũ à me quæſita eſt. Deinde longè mihi honeſtius eſſe arbitror, quotidie horam vnam colloqui cum fratre Regis, quàm inter tam varios cõflictari diſcipulos. Et Louanienſes quoq; mei tandem credẽt me non deſipuiſſe cùm patriam dimitterem. Quòd ad me ſcripſeris Salmanticam, necdum miſit Marcus, imò miſit, ita enim conuenerat. Verùm nondum ad nos venit agaſo, tamen putatur adfuturus intra biduum: literas poſthac propior iam factus, mittam, & accipiam, vt ſpero, crebriores: Itaque caſu contigit quod volebas, vt plures epiſtolas hoc anno ſcriberem, quàm decem. Curabis itaque apud iſtos tuos Bibliopolas, vt te certiorem faciant, ſi quando erit huc iturus quiſpiam, itidem & ego facturus ſum, quanquam pigrior te, tamen operam dabo, vt ſemper epiſtolam paratam habeam. Bene vale, mi Vaſæe. Hammonio dices plurimam ſalutem, imò hanc legendam dabis epiſtolam, quando nihil propriè habeam quod ad illum ſcribam. D. Fernandus ſit in aula Cæſaris, an Madril valde ſcire cupio, nam facerem eum de rebus meis certiorem. item num ſi iſtuc epiſtolam mitterem, vos facilè curare poſsitis. Eboræ vltima Decembris. M. D. XXXIIII.

Ὁ γραμματοφόρος φίλος ἐστὶ τοῦ Ρησενδίου, καὶ ταῖς φιλοτησίαις, διὰ τοῦτο καλεῖ αὐτὸν ἐπὶ τὸ δεῖπνον.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO AMICO SINGVLARI.

IAM ſcripſi ad te de conſilio meo, ſed fruſtra, quando te video fermè irretitum. Tamen quemadmodum teſtatus ſum literis, ita re ipſa tibi hominem præbebo amiciſsimum, cum quo poſſes & rei, & ſtudiorum habere liberam communionem. Tu modò diſpice an præſentis

præſentis tandem commodi contemplationem ſpem magni fructus velis amittere. Nulli nocuit vnquàm ſerius ditari: ſed hæc hîc melius videbimus, ſi tamen ad nos veneris. Heri ab amicô noſtro literas accepi, iam è Salmantica abierat agaſo, priuſquã veniret ipſe è Medina. Itaque literas meas ad te & Hammonium nõ accipietis, niſi vbi rurſus ad vos redierit. Curauit vt iſtic tibi darentur quindecim, per mercatorem notum bibliopolæ Iaſpari: id ad neceſsitates tuas. De illis quinquaginta quos ſoluere oportet, in fine Septembris hîc curabo, vt hinc mittantur Vlyſsiponem, & inde ad te. Velim vt ſollicitudinem omnem deponas. Quòd tam raro ſcripſi, inopia tabellariorum in cauſa fuit, & licèt multum mireris, tamen reuera nihil promoui, niſi vbi data fuit occaſio, vt per Vlyſsiponem ad te ſcriberem: idem tu facito. Expecto vehementiſsimè tuam epiſtolam: Scripſi etiam ad illum patricium Rhodericum, & ad Hammonium: ſed video iam tempus eſſe, vt ipſe viciſsim conqueri incipiam, quòd nihil reſcribatis. Valeo, laus Deo, optimè atque feliciſsimè; idem tibi in manu eſt, ſi modò velis. Scriptum hinc die Sabbati poſt feſtũ Ioannis Baptiſtæ. Habes obſcuram epiſtolam, ſed noſti argumentum & auctorem, ita te quoq; velim poſthac facere, vt ſuppreſsis nominibus rem agamus. Valde metuo ne intercipiantur literæ. Sub omni lapide ſcorpius.

NOSTER amicus Salmanticenſis nondum abiit, quantum licet ſperare ex literis, non abibit antequam hinc meas acceperit literas: eas mittam Salmanticam ad librarium Petrum in inſigni crucis firmæ, è regione Scholarum: ſi dabitur tabellarius, poteris & tu ſcribere & mittere epiſtolam ad Petrum: iturus eſt Carthaginem nouam & Murtiam, antequam abeat in patriam. In Germania viginti millia hominum dicuntur eſſe in armis contra regem Romanorum; ſpectant multa ad magnum tumultum.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO.

SALVE chariss. Vasæe. Ad nullam epistolarum accepi respõsum, quas ad te per Vlysiponem misi: literas postremas tuas accepi sub finem Iulij, quas scripseras postridie Ioannis Baptistæ: nihil præterea accepi de rebus tuis, cùm tamen essem sollicitus de valetudine tua, quam significaueras tentatam: ideoq; semel atque iterum ad te scripsi, nunc tertium ad te mitto, & te per omnem amicitiam oro, vt hoc tabellario me certiorem facias omnibus de rebus. Hactenus non sine causa distuli mittere illos quinquaginta: nunc vbi abs te literas accepero, & videro quomodo mitti velis, cogitabis nullam præterea futuram moram. faciam, si huc veneris, vt antea tibi præscripsi, de itinere disces ex præsenti tabellario; ego enim aliam rationem non videram, nisi quemadmodũ nuper aiebam, vt nullũ emeres equum, sed nauigio descẽderes Vlysiponem ad Carolum Corree. per eum vbi iam accepero de omnibus tuis rem certam, velim, vt apertè quicquid est ad me perscribas, & quid ex aula Cæsaris ille ad te scripserit de filio. Vale mi Vasęe. Salutabis dominum cum Hammonio & Vincentio. Eboræ in octaua assumptionis Mariæ.

DABIS huic tabellario vnum regale, & mihi imputabis, persoluam suo tempore. Deinde vt tua quoq; epistola bona fide perferatur, superscribes tantundem vt hîc soluam.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO VIRO D. IOANNI VASAEO AMICO SINGVLARI.

MIRIFICE me recreauit epistola tua, mi Vasæe; vtinam faciat Deus, vt nostrates aliquando cernãt, quod de te iamdudum præsagio: quare perge quæso in isto cursu, & quemadmodum apertè satis scripsisti, istos

iſtos χρονοκλέπτους παρ' οὐδὲν τίθεσο, μᾶλλον δὲ ὄφεως δίκην μισεῖν διατέλει. Quamuis monendus non ſis, tamen amori meo condonabis, ſi te iam Ciceroni deditum, paucis adhorter, ne ſtultorum more, in illius epiſtolis multum colloces temporis. Cùm agerem Lutetiæ, bone Deus, quàm ſibi quidam ſuauiter placebant, quòd eas ad Atticũ bellè ſeſe putarent intelligere! Tua res omnis eſt in orationibus ſita, tu non in vmbra nobiſcum deliteſcere debes, ſed in lucem, & omnium oculos pertrahendus es: quare & illud ſummopere curabis, vt potiùs, auctore Cicerone, ex arte dicas, quàm multum de arte diſputes. Eſt iſtic quidam iuuenis, cuius mentionem feciſti in epiſtola, qui omnes angulos ſcriptorum huius generis penetrare voluit, & fortè parem non habet Hiſpania: eum caue ne æmulatione mala ſuperare ſtudeas: niſi fortè iſtic melius vulgus diſcipulorum Latinè loqui putas, quàm apud noſtrates: qui credo non tam multos menſes dant carnificinæ Grámaticæ, quàm iſti annos. E Grammaticorum ludo, ſimilitudinẽ Oratoris propoſui, vt potiùs velis inſignis eſſe Orator, quàm curioſus Rhetor. De Dialecticis & Phyſicis ne multum angare, res eſt facilior quàm credas: ſuo tempore breuiter conſilium expediemus, interim perſiſte in inſtituto tuo. Amicos omnes officioſè ſalutabis, nulli reſpondeo, quia non poſſum omnibus, & alioqui nihil erat rei ſeriæ. Tuis diſcipulis proximo tabellario reſpondebo. Gauiſus ſum de apophthegmate Prioris, conſeruet Dominus tam bonam indolem, & tu quoque chariſs. Vaſæe, cum literis ſimul, vt facis, inſtilla pietatem: proderit in omne æuum, quod tener animus iam imbiberit. Apud Sertorianos nullum licet inuenire, qui rationem doceat conficiẽdi minij è ligno breſilio: roga meo nomine D. Iacobum, vt exactè rationem præſcribat; eſt enim mihi opus.

APVD bibliopolam Ioannem Auguſtinum erant Biblia Hebræa, vt tua, & vendere volebat duobus ducatis: vide ſi quod bonum habeat exemplar, eme &

eodem tenore abſoluere, quod volebã in Arabicis: excuſationis plus ſatis. tu verò deſines amicitiam noſtram ex iſtis cenſere officiunculis, quaſi amare deſinam, quoties non ſcribam plurima. Deus miſereatur D. Prętoris: fęci Franciſcum Lupum de eius valetudine certiorem, nactus occaſionem abitu Ioannis Parui: is heri profectus eſt cum Dionyſio, vt ex Vlyſsipone nauigarẽt Lutetiam ſtudiorum cauſa. Placuit epiſtola ad Plinium, vt tunc ſcripſeram. at multò magis placuit quam miſiſti Loiſidi, quam tibi ais parum ſatisfacere. Quòd autem non perinde gratum fuit, innotuiſſe adoleſcentulo, nõ rectè iudicas, mi Vaſæe, & parum aberat, quin Cælio quoq; noſtro literas tuas oſtenderim, ea nimirum ſpe, vt occaſionem haberes placendi quàm plurimis. Sanè amicum deligas oportet, quem velis diligere: at leuis iſta amicitiuncula. quid te lædit quæſo, niſi vt pulchrè te in ſtylo exerceas? Confido futurum vt è Vlyſsipone & alterum tibi parem ἀνταγωνιστὴν quoque ex tempore ad te Græcè ſcribat. Ages D. Prætori gratias meo nomine, qui tam feliciter literas noſtras curauerit. Reſpondit modò Rutgerus, ſed pro acceptis literis quàm breuiſsimè effudit quicquid eſt præproperè, & promittit longiſsimas, &c. quare deſines iraſci, ſi te in pręſentia præterierit. Scribit mortuos pleroſq; Louanienſes, Nicolaum Bedellum, Ioannem Makot, D. Licentiatum Meerbeeck, & poſtremò D. Decanum S. Petri Cancellarium, in cuius locum ſuffectus eſt M. N. Ruardus. requieſcãt in pace. Remitto chartulam illam de libris Arabicis, deſidero poſtremum. adibis D. Commendatarium, & poſces. Mitto ad illum duos Coccos Indicos, vt promiſeram. De libris reliquis, ſtatuam poſtea: nunc præſentibus me enecabo. Salutabis D. Victoriam quàm diligentiſsime, vnà cum amicis reliquis, quos nunc omnes longè magis amo tacentes, quàm ſi multa ſcriberent; neſcio enim quî fiat, vt fermè nunc literas Latinas oderim: imputabis Machometo, qui me iam vinculis illigatum poſsidet.

De Victoria poteris omnia tibi tutò promittere, vtere viri consilio, credo expertus es Silenum, & longè alium esse, quàm Theologorum vulgus. Excusabis me apud tuos discipulos, sum in eorum ære, sed studia mea præpediunt, quo minus vobis satisfaciam.

Qvid nostro Vega in mentem venit, vt inscriptionem faciat Lusitanicam? Salutabis hominem cum cæteris.

Mitto quorundam librorum precium, qui istic venditi fuerant, è quibus statues de reliquis.

De prælectionibus statues cum M. nostro Victoria, suspicor aliquid immutatũ apud Salmanticenses opera Ioannis Fernandi, & illius etiam discessu te posse contra meam sententiam pugnare. Alia tua in literis Latinis est ratio, alia nostra Theologorum. Vbi expertus fueris, seriò dices meum fuisse malum consilium. Bene vale, charissime Vasæe, & Arabicis ignosce. Eboræ die Hieronymi. Salutat te D. Archidiaconus, & Reginaldus. D. Iacobum & Ioannem de Flandris specialiter salutabis.

Nicolavs Clenardvs Ioanni Vasaeo, S. P. D.

Salve mi Vasæe. Pro tam eleganti ac tersa epistola, barbaram, si libet, accipe & incultam: quàm simulatq; legere cœperis, fortiter exclames χρύσεα χαλκείων, explerem carmẽ Homericum, & adderem ἑκατόμβει' ἐννεαβοίων, sed vereor partim ne senem illum amicum nostrum facerem periurum, si quatuor nossem verbula Græca, aut si hic totum Græcismum meum vno spiritu, eoque perangusto euomerem, non haberem hîc postea quo me Græcè nosse iactarem. Vides credo in ipso statim limine, quàm dedidicerim Latinè, dum iactor in Arabicis & scribendi negligentia: sed ad rem. Causam cur huc aduolares, etiam si tibi conchas & vmbilicos legere licuisset, nullam ex epistola tua perpendi: iam enim,

enim, cōtra quam nuper ſcripſeras, rem diſtuliſti in annum vnum aut alterum, cùm ego me putarem iam literas accepturum de pactis nuptiis. Equidem immenſas gratias ago Deo, ſi re adhuc, vt ais, integra, tanto tempore liber ſis victurus. Id vnum non poſſum non ſummopere damnare, quòd niſi hæc contingeret compes, ipſe te iuramento quoque addito caſtrares. Quid quæſo neceſſe erat in eos laqueos vltrò deſcendere, quò nec amor nec vlla præterea te cauſa impelleret? Si fidem illi dediſſes, humano more feciſſes, nec tātum reprehenderem. Nunc niſi ſtultitiā tuam video, & mihi adoleſcentes ob oculos ponis, qui ſponſa priuati in monaſterium ſe concludunt, nō voto religioſo, ſed quòd ipſi ſibi per ſtultitiam iniurij eſſe volunt. Ipſe hic me reprehenderem qui obiurgē te, cùm nihil poſsim promouere: iam enim iuſiurandum, vt aſſeris, lingua nuncupauit. Verùm, mi chariſsime Vaſæe, quando te ſic affectū video, oro vt quòd feciſti, boni cōſulas: forſitan enim te Deus aliò vocauit, & illa mortua intra annum, aut alteri tradita, Vaſæus in ſacerdotum gregem cooptabitur, proq; filiis carnalibus, aut concionando, aut ſcribendo multos gignet Chriſto filios. Homo, inquit Sapiens, proponit, Deus diſponit. Tu nimis arctis legibus naturam cōſcripſiſti in Deum iniurius, quaſi vbi ab iſta Beatrice diſceſſeris, nec potiorem nec parem vllam fueris reperturus: quaſi verò non idem poſsit creator cæli & terræ, quod ille apud Crotoniatas Zeuxis. credo è quinque virginibus optimas quaſque dotes in vnum ſimulachrum compinget pictor, & qui prophetæ Iob dederat filias, Diem, Caſiam, & Cornuſtibij, non poterit è Catharina atq; Beatrice vnam facere Helenam formoſiorem ac magis dextram. At caue, te quæſo, ne ſtulteſcas latius. Nullam iuraſti te habiturum vxorem, ſi hac fruſtratus fueris: iam præter omnem cauſam ipſe imprudens magnam partē libertatis tibi ademiſti. Oro atque obteſtor, ne magis etiam tibi iniquus fias. Si placebit vita monaſtica, vbi tempus erit, non deerunt loca

plurima, vbi viuas fermè dixerã μοναχῶς, ſed ita adiuratus ſum in veſtro ſenatu, vt religio mihi ſit poſthac tecũ græcari: non, inquam, deerit monaſteriũ, etiamſi nunc non prorumpas in vota, quò te nemo adigit, niſi ſtulta temeritas. Serua te quantum potes in tuo iure: ſatis magnũ adiſti damnum, quòd vnam tantùm potes ducere vxorem. Satis de hoc multa, caue ſi ſapis. Non te monerem, niſi vnã admiſſa temeritate totus in metu eſſem, ne & alteram arriperes.

VELIM orationis tuæ mihi tranſmittas exẽplũ, nõ recognitũ, ſed vt in ſcholis eam habueris. Semper ſuſpicatus ſum id tibi oneris à Nauarro imponendũ, & neſcio quî factũ ſit, quòd te nõ ſtatim monuerim. Venerat mihi in mentẽ Dorpij, qui quõdam orationẽ eiuſmodi ediderat, ꝙ ipſum ad te tẽpeſtiuè ſcribere volebã, ſi fortè eã antè perlegere datũ fuiſſet. Non ſanè quòd viribus tuis diffidam, ſed quamuis ſplendore verborũ & amœnitate dictionis fructũ huius anni exacti, & laboris tui Rhetorici queas capere, alienus tamen ſudor forſitan aliquid rerũ ſuppeditaſſet, q̃uo necdum ætas tua poſſit aſpirare. Et nõ ignoras tibi in ea hora ſupra quàm poſſis etiam aliquid faciendũ eſſe, propterea ꝙ iam celebraris hominũ ſermonibus. Verè enim Brutus fatetur duriorem eſſe conditionẽ ſpectatæ virtutis, quàm incognitæ. Quare etſi rem factam te habere credas, nihil tamen remittas de labore, quin ſummis conatibus in hanc rem totus incumbas, ne vt Piſoni Cicero tuus contigiſſe ſcribit, quantum detraxeris ex ſtudio, tantum amittas ex gloria.

MITTO viginti ducatos, ſi ſcires è quãtulo aceruulo, diceres me verè credere, Amicorum eſſe omnia communia, quòd tibi plus mittam quàm ipſe retineam. Nec me credas, Vaſæe, id adieciſſe aut exaggerandi beneficij cauſa, aut quòd exprobrare velim, à quo vitio nemo me eſt alienior, adeò vt reprehenſus fuerim quandoq; ſic amicis opem tuliſſe, vt tamen ne illi ipſi benefactorem ſuum ſcirent. Quid ergo? vt eadem opera & tibi

proſim

profim monendo,& mihi non obſim. Scripſeram ad te in grandi illa epiſtola,quam modò remiſiſti, id quod re ipſa expertus es,te non accepturum à diſcipulis quantũ putares,falſa ſpe irretitus obæraſti te, & quantũ timeo, rurſum decipiendus es. Ais tibi neſcio quam rationem vitæ ſatis liberã offerri apud quoſdam Nauarros,quam videris reiecturus adductus literis parentum Gaſparis: non alio omine, niſi vt paulò pòſt rurſum te deceptum conqueraris. Piſcator ictus ſapiet, ait prouerbium. Cumque ſis tam alienus à moribus eorum qui Euas colunt, etiam pari conditione altera præferenda ſit familia.Verùm de hoc non contendam,modò plus aut ęquè multum ſoluatur. Vbi quæſo ſunt minæ tuæ,cùm diceres te illos nolle, niſi numerarent quinquaginta ducatos?an ideò apud me ſpirabas animosè, vt ne tantillum quidem exoluerent,quãti eſſet victus quotidianus?Velim,mi Vaſæe,ſi fieri queat, ne te inani ſpe lactari ſinas, & ita rationes tuas componere ſtudeas,ne cùm pluſculum captas ocij literarij,imprudens alienas occupes tabulas. Qui ſic inquies? Forſitan illos Nauarros reiicis, quod tibi credas multas confabulationes fraudi futuras, & te illis obnoxium, non habiturum tantam vacãdi libris facultatem. Sanè tametſi plurimum habeo iam otij, tamen ſi poſſem meo ſucco viuere, nemo perſuaſerit vt vlli deuinctus viuam. Si liceret famelico & nudo ſemper ſtudiis ſufficere, iam nunc è ſeruitute me vindicarẽ. Quare ſi & tua quoq; ſic ſe habent,quorſum attinet te amore otij conflare æs alienum?Neq; verò,vt modò dixi, eò rapias velim orationem meam,quaſi aut inuitus,aut commemorabundus, quicquam in te conferre velim, à quo tam ſum remotus, vt etiam hìc potiùs mutuum cepiſſem, quàm te deſtitutum negligerem: id quod paulùm abfuit, quin factum fuerit, adeò in præſentia exhauſtus ſum. Cauſam accipe, vt mearum quoque rerum ſtatum ſcias. Pigebat diutius alienam adire menſam, quod re ipſa liquidò perſpexiſſem plurimum mihi perire à ſtudiis,

dum ſublata menſa prolixius confabularemur, non de iis ſemper rebus, quæ ad meum ſtomachum facerent, nec tantùm me delectarent, vt priuata intra parietes lectio. Magis certè è re loculorum meorum erat quotannis pendere in gulam meam quinquaginta ducatos, quàm iuſtam inſtituere familiam. Sed qui pecuniæ cauſa non veniſſem Eboram, licêt pauci hoc credant Salmanticæ, malui liberiore viuere ocio, etſi tenuior. Itaq; Calendis Iunij patremfamilias agere cœpi emptis antea ſeruis duobus carè admodum; magno enim hodie veneunt mancipia: tum & in alia multa ſumptus faciẽdus erat, homini antea ſemper hoſpiti. Seruulus minor cùm nuper decumberem, fugam fecit, at poſtridie redditus eſt. Laborabat periculoſa ſcabie, curauimus ęgrũ, deinde fermè hydropicum habuimus, dedimus operam vt reſtitueretur ſanitati. Ille autem bonus Dauulus bene validus nuper fugit denuò, ac vix tãdem multa moleſtia diſpendioque pecuniario poſt duas hebdomadas captiuus ad me delatus eſt, tam oportunè, vt eo ipſo reditus die, ſtatuerim emere alium: quòd ſi factum eſſet, nihil reſtabat, niſi vt ipſe me obærarem, ne te alienorum fidem iſtic periclitari ſinerem: Qui mihi crede, ſic tibi ſunt amici, vt te malim hinc petere, quàm aliquando ex te cognoſcere, Vaſçum ab his deſtitutum, quos habebat ſummos. Non deſigno vnum atque alterum ex iſtis tuis patronis, ſed de grege amicorum loquor, quos ſemper multos & amiciſsimos iactas. Faxit Deus, ne vnquam eorũ opera indigeas pecuniaria: hucuſque enim diligunt, non longius. Sed ad me reuertor, cui cùm ſic res habeat, oro te ne compendij viam amore ſtudiorum tuorum negligas. Fortè permanebis in eadem iſta familia, ſpem enim aliquam concepiſti: ſed vide ne liberiùs pecuniã profundas, quod duplici ſubſidio nitaris. Creuit iſtud æs, vt ſcis, nec æquum eſſet, vt vbi aliter tibi proſpici queat, ego amoris pœnas luam, vbi te in monaſticam aliquam cellam cõieciſſes. Nam contrà quàm putabam, etiam prioribus illis fortè

num-

nummis opus erit, quos tamen, vt ſcripſeram, iſtic me ſperabam in libros aliquos impenſurum. In cauſa eſt; quòd vere primo ſuſpicor nos ituros Braccaram: opus erit mula & aliis pleriſq; ad profectionem accommodis: tu collige onera reliqua, migrante tota familia. Nihil tamen te crucies ob meam epiſtolam, tantùm da operam, vt neceſsitatibus tuis ſubueniſſe iudicer, non aluiſſe negligentiam. Ego tam ſum deditus Pluto, vt neſciam quid aut hinc miſerim, aut quantum Hiſpali meo nomine acceperis. Scio te, cùm hîc eſſes, inſcripſiſſe in chartulam, at eam poſtea non vidi, nec locum, vbi ſit, noui: quare vide & redige in chirographum quicquid id eſt. Deduces Cornelium Celſum, qui conſtiterat, credo, octo regalibus.

MITTO quicquid adnotauerim in Demoſthenem, non quòd ſit vllo docto homine dignum, ſed quòd ſubinde moleſtiam adimit, vbi fortè conſulendum eſſet Lexicon. Videbis quàm habeam intemperantem calamum, qui quæ nihil opus ſunt, vbi incaluit, vno tenore percurrit, tum in interpretandis vocibus etiam facillimis, tum in adnotandis rebus, quæ potiùs diuinationes & ineptiæ verborum ſunt quàm ſcholia. At neſcio quî factum ſit, vt nihil in τὸν περὶ στεφάνου reperiam (ignoſcat ſenex periurus græciſſanti, nam ſuperioris promiſsi calamus non meminerat) Neſcio, inquam, Marcus ne ſibi ſeruauerit poſt abitum iſtinc meum, quod huius orationis valde eſſet ſtudioſus, an quòd eam lectitauerimus poſt alias, vbi iam vtcunque Demoſthenis guſtum cepiſſemus. Id Vaſæ ſcias, niſi Budæi libros præcipuè commentarios euolueris, te fruſtra ſæpe ſudaturum, nec verborum proprietatem aſſequeris. Qui eam vertit, toto cælo plerumque deerrat. D. Commendatarius eam aliquando iſtic enarrauit: iuuat hac in parte etiam inferiorum labor, nō ſolùm Profeſſoris Græci Salmanticæ. Oratio longa eſt, & aliâs fortè minore diſcipulorum tædio queas enarrare, amant enim opuſcula parua. Sed hic mirari ſubit, cùm habeas Platonis in legi-

bus quinquaginta exemplaria, cur non eum potiùs interpretaris, qui & facilior est, & iucundior, & auditorium redderet frequentius: neque enim puto illic quinquaginta esse Demosthenes. Nec tamen libri magnitudine absterreri debes, cùm satis fuerit vnum atque alterum librum exponere. Nam & Commendatarius solet auditorum patientiam mirari, quibus Rutgerus, vt ex me audiebat totam vno tenore absolueret Iliada: nō etiam Aristophanem simul interpretantur vniuersum. Præterea quòd etiam aliquid tibi prodesse queat, nostris vsibus cederet pecunia, & beneficio Rutgeri vteremur ad tempus. quam rationē si tu abiicis, ne quæstui seruire videaris, quod me tamen nunquam deterruit, modò discipulorū rationem haberem. Misera enim esset professorum conditio, si pari proposito fructu te negligere debeas, aut libros docere prohibeantur non aliam ob causam, nisi quòd *sui sint. Alioqui non dubito, quin nisi id metueres, quamprimum Platonem arriperes, fretus exemplariū numero. Sed vt cœpi, si istud metuis, habeo aliam viam quę auditorium alat. Est Conimbriæ apud Lusitanos iam prælum non solùm Latinarum, sed etiam Græcarum literarum: vide num consilium aliquod reperire possis, vt inde semper Græcorum librorum numerum iustum consequaris: id quod facilè fiat, si cum Vincentio Fabricio per epistolas aliquando confabuleris, qui illic Græcè docet. Nam si & tu & ille semper aliquid discipulis prælegeretis, faciliùs illi monachi (ij enim & scholas & prælum instituerūt) ad excudendū pellicerentur. Hunc Vincentium vt noris, mitto ad te epistolam, quam ad me principio aduēnitus dederat: ei cùm respondissem, de homine postea nihil accepi, fortè quòd inurbaniùs rescripsissem & rusticiùs, vt nō magnopere amicum Clenardū expetat, eam remittes. Quòd autem suasu Victoriæ poëticum aliquid tradere statuisti, nō hic tecum disceptabo. credo illum id dedisse consilij, ne senis scientiam ignorare videaris, qui libenter Poëtas tractat. Mihi si obsequereris, illos in

*Illud, sui, aut Ciceroni aut mihi condones.

in auditorium tuum non introduceres, & cum Antonio quaſi aliena lingua locutos non conareris attingere. Longè maior fructus eſt in Oratoribus & Hiſtoriographis cæteriſque qui proſam ſcribunt, in quibus vbi iuuentutem exercueris, & ad ſcribendas epiſtolas perduxeris (id quod ille ſenex nec fecit vnquam, nec faciat) tum mihi crede, minimo negotio ſuo quiſq; marte domi Homerum legerit verſione adhibita. Nam ſi poëtandum eſt, ab hoc faciendum eſt principium, vt etiam vult Baſilius Magnus, in cuius ætate ſi viueremus, nemo ante Homerum legeretur omnino, credo, quòd tum qui literarũ ſacris initiarentur, proſam quotidiana vitæ conſuetudine vtcunque norant: id quod pleroſque fallit, qui huius auctoritate freti ſtatim à Poëtis exordiuntur. Verùm, vt dixi, non reclamo, quin Victoriam audias, ego certè non fuerim facturus, niſi fortè Ariſtophanis vnam atq; alteram comœdiam putas, qui nõ minus ad proſam accedit, quàm ipſe Lucianus: comicus eſt enim, nec eum Poëtam ex eorum genere duco, qui aliena lingua, vt ait Antonius, locuti ſunt. Si Liuium leges, omnino trades librum primum, etiam ſi alius quiſpiam eum docuerit, tum quòd apud Iuntam bibliopolam exemplaria ſint plurima tempore meo, vt ſcis, excuſa, tum verò quòd nullus liber eſt elegantior. Scripſit in Liuium Laurentius Valla, verùm nunquam reperire potui. Quòd ais vt tibi annotationes communicem in Grammaticam poëticam: notaui plurima. ſed inter ſchedas indigeſta ſunt, quemadmodum & reliqua Sibyllæ folia: tum demũ aut in ſuum vnumquodque redigam ordinem, aut comburam, vbi Deus me in Academiam aliquam hinc reduxerit, aut in patriam, quam tu iam parui admodũ videris facere, credo quòd Ariſtophani ſubſcribas, πατρὶς γὰρ ἐστὶ πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ. Ecce autem rurſum periurum facimus ἄφιλον φίλον: ego verò, chariſsime Vaſæe, etſi ocij cupidiſsimus ſum, idque hîc conſecutus ſim eiuſmodi quale nunquam habui, nec ſperem inter meos, tamen neſcio quo modo

ſemper

ſemper patriam ſomniem: cuius quanta vis eſt, facilè declarat Vlyſſes, cùm Ithacam ne cum immortalitate quidem mutarit. Verè tu quidem è Cicerone didiciſti, magnum habere dolorem ignominiosè reuerti, vnde honorificè diſceſſeris. At contrà tuus idem Cicero non negaret, longè præclarum magis domi cum honore viuere, quàm foris. Equidem poſtquam viſum eſt mihi abire in hoc exilium, non præcidi ſpem reditus, ſed conandum eſſe credidi vt & redirem, & peregrinationis meæ fructum etiam inter meos haberem, quod omnino, ſpero, Deus aliquando conficiet. Quis quæſo tam miſeram ſortitus eſt patriam, in qua ſepeliri non poſtulet? Verùm de hoc aliquando tecum agam, vbi quod prę manibus habes, ſucceſſerit. Puto enim tibi apertam rationem, ſi me audieris, vt & ad ſatietatem vſque peregrineris, & tamen aliquando gloriæ plenus, ad tuos recurras, aut Louanium ſaltem, &c. Monebis me proximis literis, vt de hoc tecum agam prolixius.

SVNT alia in epiſtola tua, ad quæ nihil reſpondendum duxi, tum quòd nihil me commouerunt, nec agitur in eis ſalus tua, & mihi garriendi tempus non eſt, vt etiam nec facultas: mirorq; plurimũ, qui potuerim tam prolixas ad te de Beatrice contexere literas, quas heri dum relegere cepiſſem, nauſeabam præ tædio: miror ſi tantas nęnias ad finem decurrere tibi licuerit: Et quamuis ibi nihil oratorium ſit, tamen ſeriò me commouit, quòd tam potuerim eſſe loquax. Tradetur hodie flammis hæc fabula cum omnibus tuis literis, quæ huius rei mentionem faciunt, ne veſtigiũ vllum apud me triſtitię reſideat. Et te viciſsim per omnia ſacra neceſsitudinis noſtræ, quantum licet & fas eſt, adiuro, vt hanc quoque epiſtolam Vulcano dedices, & hac de cauſa, & etiam ne quis tam inopem ac tenuem Clenardum putet, cùm multi me hîc aureum arbitrentur: planeq; ſum, mi Vaſæe, aureus, aurea illa mediocritate contentus. Nam inter multos nummos auaritiæ ſcopulus eſt, à quo vitio me hactenus Deus ſeruauit incolumem: beneque licet

omina-

ominari in poſterum. Nam tametſi increſcant cani, nihil tamen adhuc ſolicitor de ſenectutis viatico; ſemper credo tam potentem Deum ad alendum ſenem, quàm fuit in educando iuuene.

ERRATVM eſt in Aëtio quem miſiſti: altera modò pars tibi data eſt, cùm cuperemus integrum, non fragmentum. Itaque alterum tibi onus ſumas oportet. Huius Aetij ſermones ſex vertit Ianus Cornarius, nẽpe 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Hæc pars impreſſa eſt à Frobenio, & modò ad me tranſmiſiſti. Poſt Cornarium Italus quidam reliquos ſermones tranſtulit præteritos à Cornario, ita vt totus verſus ſit Aëtius ab his duobus interpretibus, quod opus totũ poſtea ſimul impreſſum eſt Venetiis. Hunc Aëtium petierã aut alibi impreſſum aut Venetiis. Sic igitur faciendum. Adhibe medicum quempiam; aut adibis Ioannem Auguſtinum, & hunc totum nobis mittes Aëtium lotum compactumque, vt nuper. Verùm nõ dubito quin poſtea Frobenius etiam eos ſermones impreſſerit, quos verterat Italus: quod ſi ſic eſt, eos ſeparatim ad nos compactos mittes, vt ſic totum teneamus Aëtium, etiamſi in duabus partibus. Nam & Medicus malit Frobenianam literam, alioqui totum nobis emas Aëtium, ſiue Venetiis, ſiue alibi bonis impreſſum typis. Vide quàm redundem verbis, nam quod volo, vos Oratores tribus conficeretis ſyllabis.

PETRVM bibliopolam ſalutabis. Literæ meæ Hebraicæ iam ferias habent, in cauſa fuit diuus Thomas, & nonnunquam Arabica: præterea vbi Sanctes nouus eſſe deſierit, minoris erit precij. Salutabis & D. Iacobum & Ioannem pictorem. Vale, doctiſsime Vaſæe, & ineptias meas non explores ad amuſsim Rhetorum, ſed metiaris ex amore quo te proſequor: & caue ne poſthac me ſuſpicioſum fingas: præſtat me ſine periculo timere, quàm malis tuis ingemiſcere. Eboræ die Sabbathi poſt feſtum Michaelis, non enim libet inſpicere Calendarium.

MODO & tuas & meas literas excuſsi, bene mi-

rante

rante Gulielmo quid rei eſſet. Omnino proximo recurſu agaſonis mittendus eſt liber, vnà cū epiſtola Vincentij Fabricij.

HANC nuper epiſtolam obſignaturus, quàm fuerim ab agaſone fruſtratus, indicabit tibi hæc incluſa chartula. Laboraui ſedulò, ne meam fidem requireres. Cæterùm cùm nulla ratione conatus procederet, nec mercatores vlli proficiſcerentur (quod tamen certum putabamus) etiam me conſolari ipſe cœpi, exiſtimans & feliciter mihi ceſsiſſe, ſiue Gulielmi noſtri negligentiam, ſiue præproperū agaſonis diſceſſum: vterq; enim in culpa eſt, ſed multum orauit meus, ne ſe Vaſæo ſuſpectum redderem. Non omnino, inquam, incommodè caſum hunc interpretari, mihi viſus ſum. Sic cogitabā. Homo proponit, Deus diſponit: ac ſæpe magis è re noſtra eſt nō aſſequi quàm aſſequi quod petimus. Fortè Vaſæus aliis ſe rationibus explicabit ex iſtis anguſtiis, ꝙ neſcio quid de parẽtibus diſcipulorum ſcripſeris, & tu Clenarde interim forſitan mutuum capere deberes. Quàm rectè coniectura me hæc conſolata ſit, exitus rei declarauit. Nam paucis poſtea diebus ad me venit Gaſpar ille Luſitanus Theologus, aitque te Medinam profectum ad matrem Prioris. Ego confeſtim rem tibi ſaluam eſſe cenſebam. De me quid interea factum ſit, accipe. Calendis Octobris accepturus eram ſalarij partẽ, ſiquidem tertio quoq; menſe nobis ſoluitur. At noſter Theſaurarius vnà cū Principe tū hinc peregrinatū abiit, reuerſus ab hinc triduum aut circiter. interea duos tibi Portugalẽſes deſtinatos deuorauimus, eos enim Gulielmus nactus erat, vt iſtuc portarentur. Hodie appellatum abiit Theſaurarium, & ſpero nummos auferet.

NIHIL nunc ſcripſiſti, vel iracundia iubẽte talionẽ meditās, aut aliqua iam ditatus Cathedra noſtri nō ſatis memor: cùm tamen, mihi crede Vaſæe, ſi iterum petiſſes, etiam è mutuo tibi miſſurus fuerim: tanti apud me noſtra ſemper erit amicitia. Si me amas, audiam proximo nuntio: de omnibus iſtic rebus: nec taciturnitate

velis vtcumq; indicare, me tibi aliquam in ſuſpicionem veniſſe.

MITTO doblonem vnum in vſum libri, cuius in epiſtola mentionem feci: tuum erit in rationes referre quid acceperis, quid contrà expenderis. At modis omnibus quæſo enitere, vt proximo recurſu mittatur.

NVLLAMNE viam noſti, vt aliquem faſciculum tutò mittam in patriam? nam propter hæc bella nihil hìc ſpei video.

EPISTOLAM mitto ad Salidum, & ad D. Ludouicum, in qua ſi quid te offenderit, monebis audacter: Plus videtis vos Oratores, quàm nos Theologi. Et licèt mihi nunquam eloquentiæ ſtudium diſplicuerit; nunquam tamen imperare mihi potui, vt vel iuſtum tempus operamque in ſtylo formando ponerem: aut quicquid id eſſet quod ſcriberem ad limam reuocarẽ. Qua de re ſeriò doleo: cùm enim rem propius aſpicio, longè ſatius fuerat, cum amicis preſsius agere & breuius, aliqua adhibita vel arte vel diligentia, quàm multarũ horarum diſpendio prolixiores quidem effundere literas, ſed quibus conſcribendis id modò conſecutus ſis, vt malè & tumultuariè garrire poſsis, prudenter atq; diſertè dicere non poſsis. Oro te, mi Vaſæe, vt exemplo meo doctus, iuuenis diſcas euitare, quod ſeni mihi iam euitare non licet. Non quin dictionem tuam, & ſententiarum elegantiam ſemper plurimũ commendem, ſed, mihi crede, ſi animũ inducere queas, ne minimam quidem chartam exarare, quam non ſeriò recognoſcas, futurum eſt vt mihi aliquando de conſilio dato magnas ſis habiturus gratias. Ego ſi hoc in ſtadio verſarer, in quo multa cũ laude iamdiu verſaris, nihil omnino conſcriberem, ne de leuiſsima quidem re, cuius non reliquum apud me remaneret exemplar: id quod tibi, cùm miniſtrum habeas, non admodum fuerit difficilè. Puto me noſſe, qui, ſi ſubitò res flagitet epiſtolam; aut morbum fingant, aut prius agant ſermone vernaculo, quàm aliquid emittant ex tempore natum nec accuratum.

Alterum

Alterum etiam aiunt Politianũ factitasse. At hodie cùm tantus sit doctorũ prouentus, pauci tamen sic scribunt, quin iisdem finibus quibus suam vitam librorum quoque sint terminaturi: quorum libidini nisi præla deseruirent, non multos admiratores haberent, qui iam orbem ferè vniuersum ad legendũ rapiunt. Veterũ scripta quæ vera laude dignamur, ita legimus, vt nisi aliunde subuentum esset, etiam ipsi non grauaremur describere. Hodie putas aliquid edi, quod tu citra tædiũ manibus queas exarare? Excipio tuum Deum et alterũ etiam meum. Sed hæc ita velim accipias, vt mihi tamẽ fraudi non sit, quominus ad me scribas vel longissimè. Non mitto ineptias meas in Demosthenem, quod serum sit, nec opus esse credo. Die Veneris III. Nouembris accepi fasciculum literarum è patria. Mei, per gratiam Dei, salui sunt. Iam scis mortuum Merbecanum, Nicolaum Bedellum, D. Decanum S. Petri. Modò scripsit Rutgerus obiisse M. nostrũ Turnout, & regentẽ in Porco; requiescãt in pace. Præceptor meus Latomus vocatus est Louaniũ, vbi iam residet auctus canonicatu, quẽ post mortem Decani possederat Turnout. Literæ Rutgeri scriptæ sunt Non. Maij, in quibus ait se ante bimestre tibi scripsisse de institutionibus Græcis Iuris ciuilis quas impressit. Rogo excusa me Victoriæ nostro. Incepi ad eum, meo more, prolixissimè scribere: sed ante abitum Agasonis non possum quod volo perficere. Minatur sæpe Poëta Resendius, & quoties eum à Victoria saluto, semper nescio quid excusat, quominus carmen ad eũ mittat &c. aliquando tamẽ pariet. Vale, mi Vasęe, Nouembris die Lunæ post festum omnium sanctorum. Sic nos Theologi solemus facere datas. Si quotidie prouentus sacerdotiorum reciperem, certiorem dicerem diem.

FERE exciderat. venit quidam ad nos Baccalaureus Parisiensis: is depulsus tempestate in Angliam, ait se illic audisse mortuum esse amicum monachorum, eoq; allatas è Germania literas. Nolo virum nominare, ne

me

me dicas ista libenter obnunciare. Hic Baccalaureus è Lutetia discesit ab hinc trimestre. Tu inquire an aliquid norit D. Iacobus Vicarius, & in omnem casum dicat missam de Requiem. Puto vanum, atque vtinam esset vanissimum: iam enim audieram illum redisse Basileam, vt castigaret opera sua vniuersa.

DE Marco nostro quid suspicemur? certò nouit me esse in aula Regis. Aut literæ interceptæ sunt, aut mortuus est: oblitum enim mei non credam. Si me amas, habeam orationem tuam.

NICOLAVS CLENARDVS OPTIMO VIRO IOANNI VASAEO AMICO CHARISSIMO.

SALVE mi Vasæe. Antequam literas legat noster Victoria, velim ores vt mihi prolixitatem ignoscat, & vbi fessus fuerit, illic cogitet finiri epistolam.

GRATVLOR tibi istum istic successum, precorq; Deum, vt quemadmodum speras, bonæ feliciter fortunentur literæ.

QVOD adeò te diligat Victoria, nihil nouum nuncias. Vetus iam est illum bonis omnibus impensè studere.

MIRATVS sum cur tu potiùs quosdam inuiseres quàm illi te. supersedeo nominibus, quòd intelligas quem velim.

MITTO ducatos XII. id est, dublones sex. vtere, si opus habeas. gratum tamē esset si sex ducatos numerares D. Commendatario, & reliquos eius libros Arabicos quamprimum ad me mitteres. Quòd si commodum tibi non erit: ego patientiam habebo. Epistolam ne ipsi reddas, nisi soluas pecuniam, eius enim mentionem facio.

DE libris meis, rogo ne quid petas: sunt admodum pauci, & quos charos habeam: cumque nunc hunc, nunc illum consulam, & omnibus meis instrumentis

quandoque vtar, ægrè alicuius ferrem deſiderium: ne vnus quidem eſt, quin occaſio ferat vt adeatur, vtcunq; vel Hebræa tractem vel Arabica. Præterea vehendis ac reuehendis codicibus, tantùm facies ſumptus, quáti pars bona queat emi. Vteris iſtic amicorum libris, Victoriæ, Vega, ac cæterorum? Accipe quæſo hanc cauſam, nullis enim queam carere. De ratione debitorum poſtea videbimus: nunc tam multis perſcriptis epiſtolis, vix tempus datur tecum colloqui. Nocte hac rurſus dentium cruciatus me inuaſit, adeò vt inſomnis fermè iacuerim ab hora vſque prima ad ſeptimam.

COCCI iam hîc nulli ſunt, & tēpus præteriit, alioqui miſiſſem & nuper, cùm te velle ſcirem.

IN Rodolphum viliſsimum feceram compendiolū, quatenus iuuentus aliquem locorum haberet guſtum: nulla apud me ſcheda ſupereſt.

DE Græcorum præpoſitionibus optimè ſcripſit in commentariis Budæus; mea ſic inter chartulas diſperſa ſunt, vt menſe vno colligendis nugis opus eſſet. proferentur ſuo, credo, tempore.

RATIONEM inſtituendæ exercitationis melius iam me tenes, & quicquid iſtic luſi, tantùm inter diſcipulorum erat manus, ego reliquum habeo nihil, & planè puerile iudicares, licèt reperiſſem mirè fructuoſum. Marcus noſter in patriam abiit, Barcinone quendam Luſitanum conuenit: ſed quòd multa ſcribere cuperet, excluſus tempore ſcripſit nihil. Vale mi Vaſæe, & amicos omnes ſaluta. Eboræ I I. Ianuarij, Annó M. D. XXXVI.

NICOLAVS CLENARDVS IOANNI VASAEO. S. P. D.

SALVE mi Vaſæe. Hodiernus dies, Iulij eſt decimus octauus. Heri literas tuas accepi ſub veſperā: ad quas nunc his horis pomeridianis, ſi queam, ad plenū reſpōdebo, niſi negotia profectionis me interturbent. Incepi con-

pi concinnare ſarcinas : equus Gulielmi emptus eſt: meus,vt credo, comparabitur intra biduum. Hebdomada ſuperiore profectus eſt meus Princeps. Ante abitum ſemel atque iterum longè lateque confabulati ſumus: quod dubium eſſet ſubſiſterémne Eboræ, donec ille rediret Braccara, an vnà proficiſcerer. Cauſabar itineris moleſtiam, homo harum rerum inſolens: præterea hoc æſtu mihi omnino in via pereundum eſſe: tandem conuenit vt ſimulatque calor deferbuiſſet, lentè commodo meo ſubſequerer.

DVM hæc aguntur, quodam die, Rex inquit, rogauit ex me: velléſne agere Conimbricæ? Oro, inquam, mi Princeps, vt quemadmodũ antea conuenit, ne mihi vllas redeundi moras interponas, ſed proximo vere reuertar ad meos. Multa ille interim, quàm cuperet me ſeruare &c. nec minus placituram mihi Braccaram quàm meam patriam. Hic commodùm viſum eſt veſtrarum epiſtolarum mentionem facere, & me omnia ſpreuiſſe, quòd ipſum iam ſtudiorum Mœcenatem in omnem porrò ætatem delegiſſem, me hoc eſſe animo, vt nulla tam ampla proponatur conditio, quæ me ab ipſo debeat diſtrahere, debereq; me ſub illius auſpiciis aut diuitem viuere aut pauperem.

PAVCIS deinde interiectis diebus, quòd æſtu impedirer, nec ad aulam venirem, per quendam mecũ egit, vt ſciret animum meum: velle enim ſe habere mei rationem, ſed quando à ſacerdotiis Curatis ſic abhorrerem, explicarem quibus prouentibus contentus eſſem, ſeſe tum curaturum reliqua. Huic internuncio liberè cũcta expoſui, & biduo poſt Principẽ ipſum adeo, fuſius de omnibus fabulaturus. Aiebam alia eſſe ſacerdotia Archidiaconatus, Canonicatus, & eiuſmodi Sardanapalorum delitias, quibus multis capacem gererem conſcientiam. Riſit ille, & ſe daturum operam. Verùm inquam, mi Princeps, iam ſat ſolicitaris in hac profectione: quod ad me attinet, ne ſis multum anxius, facilè mihi ſatisfeceris. Et quòd ad abitum meum pertinet,

etsi mirificè cupio parentum voluntatem explere, & ineunte vere discedere, tamen quando ardent hæc bella, licebit per epistolas aliquid causari, & aliquantisper procrastinare: ità, inquit, vt hinc discedas ab hinc anno. Sic vltrò ipse prorogaui aliquantulum exilium; simul vt interea plus Arabicarer, & quæ ad eam rem attinent commodius expedirem: simul vt magis Principis animo satisfacerem, qui me cuperet seruare diutissimè. Deinde Vasæe, quanto iam illi magis obsequor, tanto deuinctiorem reddo: re ipsa enim ostendere volo, me omnes in illius gratiam occasiones lucri posthabuisse. Potest me ditare, sine loculorum suorum iactura; nec dubito quin effecturus sit, vt hæc centum millia mihi reddantur in patria. Louaniensi Theologo, credo, sat erit tantùm quotannis accipere, & quid vltrà moliri necesse est? Fortè dices te nihil adhuc videre præter spem. Ea ego in præsentia contentus sum: nunquam deerit quod edam. Sed quando omniũ debes esse particeps, audi aliam fabulam. Heri venit ad me sacerdos quidam missus huc à duce Beyerano, vnà cum illius literis, in quibus orat, vt fidem habeam quicquid hic mihi eius nomine narraret sacerdos. Summa legationis hæc erat, optare se summopere, vt si displiceret Lusitania, aut hinc alioqui migraturus essem, conditionem apud ipsum susciperem, expetere se mecum tractare literas Latinas; & simul vt in eisdem filiorum curam susciperem, in ipsius ædibus me pro merito tractandũ, salarium quod vellem, conferendum &c. Quòd si hic legatus propensum reperiret, hic subsisteret, & quamprimùm misso tabellario Ducem certiorem redderet, quo videlicet res quamprimùm transigeretur. Saltem vtcunque forem animatus, cupere se vt eum viserem. Hic sacerdos me repperit tempore matutinarũ in templo, vbi statim respondi me & hic viuere suauiter, nec integrum esse Ducis voluntati morem gerere, & præterea intra annum me abiturum in patriam. Iussi vt sub prandium veniret, daturum me literas ad Ducem: eas

tulit

tulit à prandio, & multa deinde verba fecit, quàm ea domus mihi amica esset, quàm gauderet Dux nomine meo. Suspicor Colonem aliquid molitum esse: eius honorificam feci in epistola mentionem, nulla tamen vel minima suspitionis vmbra posita. Breuiter, videtur hic sacerdos eam spem concepisse, vt aliquando me Dux sit habiturus, & multa hoc anno posse contingere. Abeunti dixi Salmanticæ esse Ioannem quendam Vasæum, vtraque lingua & pulchrè doctum, & Salmanticæ celebrem: tulit secum nomen Vasæi &c. Hæc fabula heri peracta est, quam rogo ne quis mortalium ex te cognoscat. Eam ob id tibi narraui, quo scires mihi fortè eam aliquando apud Principem vsui futuram, quo intelligat me non ob id tantopere moliri abitum, quòd alium pluris faciam, sed quòd tantopere tenear desiderio academiæ meę, cuius desiderium etiam si euanesceret, iam in illius vnius gratiam multos summos viros mę neglexisse. Nec tamen temerè statui effutire quicquam, & fortè aliunde rescisçet. Pergamus iam ad tua.

CASTRO Homeliarius fortè quòd cum Viue vixerat, sperat aliquid ab nostro Rege. At cùm Viues ducentos, vt credo, ducatos abstulisset, Erasmus tamē & Turnout nullas egerunt gratias.

BENE facis quod definitionem Monachi studes cōfirmare, quam pridem lusi cùm ad Iacobum scriberem, Monachum esse hypocriseos domicilium. Si tu nomine Iacobi versus aliquot operi præfiges, ille hypocrita ne erit, an cornicula Aesopica? nisi fortè hypocrisis nomē locum modò habet, vbi de vitæ sanctimonia agitur, & ille falsus est, qui primum, secundū, & tertium in Rhetorica dixit esse τὸ ὑποκρίνεσθαι.

PASCASIOS cura quàm potes diligentissimè, etiamsi pileos sexcentos perderes. Et quando nomine salarij, vnam tantùm horam debes, id quod antè ignorabam, occupa, si potes, horas omnes, in scholis, in collegiis, & domi quoque. Istæ lectiunculæ parui sunt laboris, reporta semel eam gloriam, quòd te auctore pas-

ſim Latinè garriant, iam tua erit Cathedra futura etiam rupta Aquila. cui quòd cęteri inuideát, in rem tuam eſt. Te velim inuiſum eſſe omnibus, factione opus eſt ad obtinendum brauæum.

CAECVS Magiſter factus eſt poſt adeptam Cathedram. Quare miror te tantopere feſtinare ad gradum.

PVTAREM conſultum ſi nuptias differres, donec iſtud ſaxum peruoluiſſes. Et crede mihi Vaſæe, facilius cælebs obtinebis quàm coniunx. Si ſemel te viderimus victorem, gratius erit connubium. Si cōpeditus iam & illigatus fortè fruſtratus fueris, multò moleſtior erit repulſa.

MIHI res videtur longè facillima, pueros analphabeticos in tua familia intra annum eò perduci, vt quotidiana ſonent Latinè, & audiendis lectionibus Latinis ſint idonei: de iis loquor quæ alioqui captũ pueri non excedãt. Quanquã quis eſt adeò obſcurus auctor, vnde puer nihil excerpat, nec neceſſe eſt vel me totam Ciceronis aſſequi paginam. Principiò primo ipſo die diſcat a b c d e f g h i k, & eas literas pingat: alio die, l m n o p q r ſ t u x z, & eas pingat: tertio die vocales quinque a e i o u, vocalis Græca y. Diphthongi quatuor æ œ au eu, ph id eſt f. deinde ſyllaba vo ca les: Dictio, *Vocales quinque, Diphthongi quatuor.* Hæc dum inculcantur, puer ſuapte natura concipit quid ſit litera, quid vocalis, quid ſyllaba. Numero prolatis digitis, Vocales quot ſunt ſyllabæ? Tres. Deinde, Vocales quot ſunt literæ? Septem. Nec neceſſe eſt vt ſcias, Syllaba eſt minima pars vocis compoſitæ, & cæteras ineptias & diſpēdia. Atque hæc omnia perpetuò Latinè ſunt agenda, etiamſi non intelligant: nutibus & geſtibus aliquid diuinando conſequentur, reliqua ignorent, nec tamen vapulent. Primo ſtatim die Carboni chartam obieci ſic ſcriptam:

Vocales quinque, a e i o u.

Alio die alteram chartulam:

Literæ cōſonantes, b c d f g h k l m n p q r ſ s t v x z.

Deinde

Deinde cùm irem cubitum, dicebam Latinè: Vocalis cum consonante facit syllabam, ba be bi bo bu, ca ce ci co cu: nec vnquam quicquam declaraui vernacula lingua.

SIT hic labor hebdomadæ ad summum. Interim tamē admota manu capiti, dicebam caput, nasus, oculus, & ita singulis diebus vocabula aliqua in libellum referebam. Et inter vestiendum: Heus Sebastiane, cedo mihi aquam, monstrato cantharo. Effunde & fer recentem. Ipse effundebam potius, quàm vt dicerem quod ignorabam, hoc est vernaculum. Cedo mihi pectinem, digitis comendi capitis ostendebam signa. Iamdudum assequeris quæ velim.

Sequitur secunda hebdomada.

PRIMA DECLINATIO.

a	æ	æ	am	a	a	} Musa.
æ	arum	is	as	as	æ is	

Interiore manu dicebam a æ æ am a a
Exteriore æ arum is as æ is

Deinde aptabam sa sæ sæ &c. ita vt biduum occuparetur in vna voce Musa.

CASVS SEX.

Nominatiuus
Genitiuus
Datiuus
Accusatiuus
Vocatiuus
Ablatiuus.

Sit hoc ante prandium sonandum prolatis digitis, & manu tam interiore quàm exteriore.

Sequenti die.

NVMERI DVO.

Singularis	} id versa manu significabam.
Pluralis	

Cœnanti, prandenti, eunti ad lectum, surgenti, semper occinebat *Musa, Musæ* &c. Necdū scit quid sibi casus velint, quid numerus. Post aliquot dies vbi audierit:

Cedo mihi *mappam*: &, hæc eſt ſordida *mappa*, tum dices: iſti ſunt caſus *Mappa, Mappam*, aliquando dicimus *mappam*, aliquando *mappa*, ſed poſtea id intelliges.

Deinde,

Prima Declinatio habet vnam terminationẽ, nempe a. id legat nec intelligat.

FORTE miraris qui poſsit legere. Multa colligit puer vno terendo vocabulo, *Muſa, Muſæ, Muſam*. Deinde dum hactenus tam paucæ voces occurrerint, *Vocales quinque, Conſonantes, Diphthongi quatuor, Syllaba, Dictio*, & cet. dum octo aut nouem diebus ſic inculcantur & per domum reſonant, ſonus ipſe adiuuat, & præterea quòd nulla dies omittenda ſit, quæ non ſcribentem & pingẽtem occupet, omnino condiſcit legendi vias. Et vt non ſit expeditus lector, tamen dum memoriter declinat *Muſa*, mihi ſatisfactum eſt. Scis quomodo docere ſolebam Hebraica, poſt tertiam ſtatim lectionem diſcebatur Pakad: quod ſi legere queat diſcipulus, & præſentem ſemper lectionem, quorſum attinet multas horas perdere in legendo?

CASVS & numeros cur poſt declinationem poſuerim, iam vides: faciliùs enim conſequuntur quid ſit Caſus, vbi nomen vnum in digitis declinando poſuerint. Semper ita docendum eſt, vt nihil pendeat ex ſequentibus, ſed quæ iam tenuerint, lucem adferant præſenti lectioni. Quare idipſum, vnam eſſe terminationem primæ declinationis, volo vt legant modò, etſi non intelligant. Cæterum vbi abſoluerint ſecundam declinationem, & tum adſcripſeris quinque eſſe terminationes, *us, um, er, ir ur*: tum demum olfacient, & tum in ingreſſu ſtatim tertiæ declinationis licebit ſcribere: *Tertia declinatio* habet multas terminationes.

ROGAS fortè quid faciemus de *Pentecoſte, Adam, Abraham, Anchiſes, Andreas*, ablatiuus in *abus*, quemadmodum in inſtitutionibus Græcis, multa ad ſecundam libri partem reſecaui: ita nunc ſolùm ſunt tradenda catholica.

SECVNDA DECLINATIO.

us	i	o	um	e	o	Dominus.
i	orum	is	os	i	is	

um	i	o	um	um	o	Templum.
a	orum	is	a	a	is	

Nomina in um ſunt generis neutri.

Neutra habent tres caſus ſimiles in vtroque numero, nominatiuum, accuſatiuum, & vocatiuum.

HI caſus in plurali numero ſemper deſinunt in a.

HAEC legant & digito monſtrentur in figura tres caſus ſimiles, *um um um*, *a a a*, templum, templum, templum: id fieri non poteſt, quin obiter diſcant quid ſignificet vox, *Similes*.

Sebaſtiane, quando dico eſt nomen neutrum, ſemper tres caſus ſunt ſimiles. Vide quæſo, *Dominus* eſt nomen neutrum? Non domine. Quare? *us, um, e.* Iam puer ſæpius audiuit has voces, *Nomen, Declinatio, Declina*, &c. vbi inceperit coniugare verba, ſomniabit nomina declinari, verba coniugari.

Sed pergamus.

GENERA SVNT TRIA.

Maſculinum.

Fœmininum.

Neutrum.

HIC obiter diſcit legere diphthongum œ tanquam e, & non per duas ſyllabas oë.

Nomina in *us* ſecundæ declinationis ſunt maſculina, vt *Dominus*.

Nomina primæ in *a* ſunt fœminina, vt *Muſa*.

Nomina ſecundæ in *um* ſunt neutra, vt *Templum*.

IAM hoc vtcunq; capere poteſt; ſin minus, aliquot poſt diebus intelliget.

SED heus Vaſæe, caue ne puerum oneres articulis *hic, hæc, hoc*. Mei ne ſomniarunt quidem hactenus quicquam articulorum: tantùm prolatis digitis

dicunt *Musa, Musæ*, nec nominant aut casus aut numeros, manus ipsa loquitur.

ER.

er	i	o	um	er	o	Faber.
i	orum	is	os	i	is	

ER crescens.

er	eri	ero	erum	er	ero	Puer.
eri	erorum	eris	eros	eri	eris	

Carbo? Quid placet domine? Pu er quot sunt syllabæ? Duo. duæ, duæ. Pu e ri quot sunt? Tris. tres, tres. sic obiter corrigo, nec causas addo, vt condiscant aliquando sic, aliâs sic loquendum esse, id est crescere. Nónne iam es magnus? & cùm esses in terra tua eras paruus? Etiam domine. Iam creuisti. sic puer habet duas syllabas, pueri tres: ergo crescit. intelligis? Etiam domine. Magister quot syllabæ? Tres. Ma gi stri quot? Tres. Crescit? Non domine. Collatione contrariorum optimè res discitur. Hactenus non curaui multitudinem exemplorum. Cæterùm, er crescens vel non crescens, quod non tam latè patet, fermè omnia adieci exempla, aut præcepto catholico comprehendi: quod idem faciendum est in tertia declinatione, vt lingua & aures his vocibus assuescant: quæ si multæ sunt, multitudine ipsa præceptum discipulo insinuant: sin paucæ, ipso in loco declinatio earum discitur.

ir	iri	iro	irum	ir	iro	Vir, leuir, treuir.
iri	irorum	iris	iros	iri	iris	

ur	uri	uro	urum	ur	uro	Satur.
uri	urorum	uris	uros	uri	uris	

SECVNDA declinatio habet quinque terminationes, us um er ir ur. Hîc fortè obiter accipit *q;* valere *que*. Antè fortè non occurrit, & abbreuiationes principiò fugiendæ sunt.

RELIQVA secundæ declinationis omnia omittantur.

QVOMODO gustum dabimus adiectiui & substantiui?

Nomen duplex,

Adiectiuum.	Substantiuum.

ADIECTIVA.

Bonus	bona	bonum.
Malus	mala	malum.
Magnus	magna	magnum.
Paruus	parua	paruum.

PONO hîc grandem syluam nominum adiectiuorum, semper addẽdo contrarium, quod obiter facit ad discendum vocis significationem. Quamuis enim dum traditur Grammatica, nihil omnino curandum est de vocis significatione; tamen si citra dispendium institutionis propositæ iuuetur discipulus, arripienda est occasio. Ponenda, inquam, sunt adiectiua plurima, ea præsertim quæ suspicaris puerum iam aliquoties audisse intra tantillum tempus. Hæc sic doceo, cùm licet dicere bonus equus, malus equus, magnus equus, paruus equus, id quod manet iunctum variis nominibus, est adiectiuum, vt bonus equus, bonus dominus, bonus caseus, &c. reliqua quibus hæc adduntur sunt substantiua, equus, dominus, caseus. Hæc dum multis exemplis tractantur, etsi perpetuò loquare Latinè, puer tamen per se vernaculam linguam imaginatur, & colligit quid *adiectiuum*, quid *substantiuum.*

Adiectiua in *us*, declinantur vt *dominus.*

Adiectiua in *a*, vt *Musa.*

Adiectiua in *um.* vt *templum.*

Deinde pono & adiectiua in *er.*

Asper	aspera	asperum.
Prosper	prospera	prosperum &c.

NEC laboro vt adiectiuum cum substantiuo declinent, præsertim si habeant diuersos exitus, quale foret bonus puer, nam turbantur in re non necessaria. Sed

parce

parce Vaſæe, quòd tamdiu ſim inter Paſcaſios, & analphabeticos, quaſi tu hæc ignores. Sed quia ſic voluiſti, ineptiui potiùs quàm nihil ſcriberẽ. Mitto ad te Grammaticam vnam Aethiopicam, iam olim à coquo meo inceptam & deſcriptam ex libello meo quem eis tradebam. Non eſt integra, ſed inde licebit coniecturam facere. Auſim polliceri ſi tu eam ſic rudi figura perfeceris, & bono ordine rem oculis etiam obieceris, fore vt intra trimeſtre hic diſcipulus optimè declinet & coniuget. Interea dum hæc diſcit, ſingulis diebus, vt dixi, exerceat ſe pingendo. Et nullus dies prætermittatur, quin vocabula aliqua condiſcat, partes hominis, res culinarias, & quæ in domo, foro, templo, agroque ſunt obuia, hoc eſt, quotidiana iſta. Ea credo nouerit ante menſem vnum. Nam ſingulis diebus diſtinctis horis nunc legat, nunc pingat, nunc lectionem & vocabula cantillet, & iocus ſit non labor.

VBI hæc quotidiana vocabula conſcripta fuerint, & iuſtus iam videatur numerus, in eodem libello pergamus ad oratiunculas quotidianas.

Heus Sebaſtiane?
Quid placet domine?
Vbi eſt Michael?
Iuit aquatum.
Quid agit Nigrinus?
Studet, ſcribit, parat focum.
Eſtne Gulielmus domi?
Non domine.
Quonam abiit?
Iuit ad forum.
Quid eò?
Emptum piſces.

HAEC paucis primùm conſtent verbis, & legant modo, vſu diſcent & dicent memoriter. Quanquam omnino conſultum eſt, vt ſimulatque ſic ſatis legere norint, ſingulis diebus exerceant memoriam in huiuſmodi dialogulis, qui contineant quamuis materiam

domeſti-

domeſticam & puerilem. Cùm tibi tam multi ſint vtcumque prouecti diſcipuli, curabis, vt tu his rudimentariis modò ſtudiorum rationem præſcribas, & vnam tantum horam, quæ alioqui tibi periret, eis impendas. prouectiores autem tres aut quatuor quotidie in orbem cum illis puerulis ludant, & audiant eos declinātes, ſic vt quod alij facere queāt, tu ne ſubeas. Id maioribus quoq; lucro erit, vt rationem docendi condiſcant. Cęterùm cura vt vſu potiùs diſcant, quàm ratione. verbi gratia, in tertia declinatione; ſic dico *a atis neutrum*. Declina Carbo *Dogma*: *Dogma, dogmatis, dogmati* &c. ſemper ipſe eis dico genitiuum, nec tento an iam ſciant: verùm adeò crebrò declinabunt, vt tandem imprudentes in genitiuum incidant. itaque de accuſatiuo in *im*, ablatiuo in *e* vel *i*, genitiuo plurali in *um* vel *ium*, non eos volo torqueri, ſed ipſe inter declinandū ſuccurro. Vbi biennium fuerint verſati in literis Latinis, tum demum ſuopte ſtudio legent grandes iſtos Grammaticos, aut certè eis opus non habebunt, ipſi enim canones ſibi ex vſu auctorum formabunt. In dialogis multa obiter diſcuntur, vt verbi gratia, numeri.

Quota eſt hora?
Prima,
Secunda,
Tertia &c.
Quot ibi ſunt homines?
Decem,
Viginti,
Triginta.

IN verbis primę coniugationis, præter ea quæ regula vniuerſali comprehenduntur, ſemper addo omnia compoſita, hoc pacto:

Sto ſteti ſtatum.
Adſto adſtiti adſtitum.
Conſto, reſto, præſto, proſto, diſto, inſto &c.

SIC in tertia & quarta coniugatione, & ſecunda, vbi certus eſt numerus, nec præceptum eſt generale.

Nullum enim præceptum pono in tertia coniugatione, ſed hoc pacto pono terminationes:

CIO.

Facio feci factum.
Conficio confeci confectum.
Afficio, Perficio.
Quare præpoſitiones pono ſtatim poſt nomina.
XXX. accuſatiuum regunt.
XV. ablatiuum.
IIII. vtrumque caſum.

IAM ſciunt dicendum: Gulielmus iuit ad forum, quia *ad* regit accuſatiuum &c. Necdum ſciunt quid ſit comparatiuus, tamen in nominibus in *or* poſui comparatiua *or oris*, Doctior, Melior, vt declinent. Sic & verbalia in *io*, vt Auctio, Natio, Factio &c. poſtea eos titulos intelligent. Mei iam multis menſibus à me negligũtur, eò perducti ſunt, vt intelligant Dominum: nec multum iam curo, fui aliis occupatior, quàm vt eos multum reſpicerem. Peruenerant vſq; ad tertiam coniugationem, fortè aliquid fiet Braccaræ.

TV nihil de Paſsiuis verbis tradas, niſi omnibus abſolutis coniugationibus, tum de Paſsiuis agendum ſimul & Deponentibus in *or*.

POST verba, tradenda Pronomina. nec ſciunt quid Primitiuum, quid Deriuatiuum, Demonſtratiuum &c. tantùm declinent.

Aduerbia, Coniunctionesque vſu diſcant.

SEQVITVR Syntaxis. cuius caput primum de adiectiuo & ſubſtantiuo trado ſtatim poſt ſecundam declinationem. De verbo actiuo cum accuſatiuo intelligent, vbi ſcient imperfectum eſſe Comedo, niſi addas panem, carnes &c.

Comparatiuus ablatiuum regit, Superlatiuus genitiuum.

Duorum ſubſtantiuorum alterum ſemper ſit genitiuus.

Duorum verborum alterum Infinitiuus.

HAEC pauca sufficiant. Nam quæ adiectiua genitiuo gaudeant, quæ ablatiuo, in Dialogis obiter discēt, vbi eò perducti fuerint, vt ipsi obseruare incipiant verba & nomina quæ catholicis præceptis non continentur, alia alios postulare casus, vt vescor, fruor, vtor ablatiuo, &c.

SI hoc pacto puerum instituas, ante sex menses cōmunia nouerit capita totius Grammaticæ. Et interim in dialogis eum profectum habuerit, vt multa norit garrire Latinè.

SEQVITVR anni pars posterior, quo putarem illi nihil perire, si publicæ lectioni Terentianæ interesset, non quòd totam assequeretur, sed dum te audiret copiosè disserentem. Vos isthæc intrò auferte, multa, credo, intelligeret, Simo paterfamilias, seruos astantes alloquitur, iacebant pro foribus aut ligna, aut nescio quæ sarcinæ aut onera, iratus dominus & stomachosior in pigros desides & negligentes somnolentosque seruos; vos, inquit, serui, quid ista sic relinquitis pro foribus & ante ostium? auferte, hoc est, asportate intrò, hoc est, in domum istæc, hoc est, ista onera. Puer sex mensibus in familia tua versatus, nihil huius enarrationis assequeretur? Perge. Auferte, imperatiuus ab Aufero regit accusatiuum; isthæc dicunt Poetæ pro ista: Intrò Aduerbium locale &c. alia quæ adferes auditoribus non assequetur, quid tum? adhuc tenellus est, & dies diē docebit. Quàm mirabātur quòd D. Ludouico enarrarem Liuium! Et tamen res processit pulcherrimè. Tibi quoque dextra erunt omnia, si modò Salmanticensium mores caueris, qui si difficilis locus occurrat, ibi neruos explicare student, & sui miraculū apud plebeculam facere. Tu pueri modo dicito, non potes iam assequi.

INTEREA tamen hic puer domi habebit sua studia in dialogis legendis & pingendis. quos si adhibita etiam cura conscripseris, fieri queat vt nulla sit vox Latina, quin ante finem primi anni ab hoc puero sit sepius

lecta,

lecta, scripta, audita, & bene detrita. Quomodo quæso? Principiò nomina poëtica fluminũ, herbarũ, montium &c. omitto, & antiqua præterea vocabula. Deinde in his dialogis, etsi argumenta erunt aliarum rerũ, potes tamen subinde Grammaticum simul agere, & dialogi rem agere. Verbi gratia, fortè concluditur dialogus, hoc est, pagina vna (nam nolo te splendidè hîc laborare) Dialogos voco confabulationes quauis de re. & sunt singulæ paginæ quandoque dialogi, vt res sese tulerit, semper positis in frontispicio personis discipulorum tuorum, non eorum modò qui hæc discunt, sed quorumlibet, quicquid noui vel tibi vel Cæsari ipsi contigerit, inde fiat colloquium paruulum. (si modò captum discipulorum non excedat) Esto ergo, sit finis dialogi iste: Faciam quicquid iusseris. Ingredere hîc occasionem, vt discant composita verbi Facio, & sic digere, vt alter nominet ipsum compositum, alter orationem ex eo descriptam reddat.

CARBO. NIGRINVS.

PLACETNE excutere composita verbi facio?

Perplacet, tu præito, subseruiam ego pro virili.

AFFICIO.

REX me affecit summo honore.

SI id commiseris, afficieris maximo dedecore. Cõgere hîc si placet, eos ablatiuos, quibus iungi solet id verbum

CONFICIO.

CONFECTVS fame, inedia, mœrore.

EXPENDE sic omnia composita, & dialogos sic conscriptos saltem creberrimè legant, haud aliter atq; nos horas canonicas.

IAM verò volo, vt etiam data opera certa quædam verba cum suis compositis deligas, & sic cum vno atq; altero exemplo scribas. tandem minuetur Lexicon, & pauca relinquentur, quæ tuus non ceperit discipulus. Deinde hoc pacto quandoque, vt facit Cornucópiæ, nominando omnia quæ à themate deducuntur.

MICHAEL.

MICHAEL. SEBASTIANVS.

QVID gignit amo?

Amo, amans, amaturus, amabilis, amandus, amor, amicitia, amicus, amica.

RVDE eſt exemplum. Sed vides ita ſenſim fieri, vt recto adhibito iudicio, totam linguam Latinam, & bonam eius vtendæ partem, in hunc Dialogorum librum poſsis conferre, ne diſcipulo annum vnum ſic exercitato multa poſsint obiici noua.

PRAETEREA ratio illa copiæ, trahendo orationẽ ex oratione, etiam hîc locum habeat, præſertim ſi videantur aliqua eſſe vocabula, quæ alia ratione infulciri nequeant. Id fit, vt ſcis, vel vt ipſe orationem fingas hoc modo. Conferas te domum. Contulit in me plurima beneficia. Plurimum de me meritus eſt &c. aut nectendo ſententias auctorum & adagia. Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Non omnia poſſumus omnes. Vt poſſumus quando vt volumus non licet, &c. hæc varietas etiam grata eſt. Poſtremò vbi iam omnes rationes pertractaueris, capiam Lexicon Nebriſſenſis, & decurſis ordine vocibus, ſi quam fortè puer necdum audierit, aut etiam ſi audierit, modò eius occaſione oratio elegans emergat, eam ordine Alphabeti deſcribam, & item reliquas omnes, & ne faſtidium fiat, literam A ponam: deinde aliquos nouos adiiciam dialogos, poſtea B &c. Non enim neceſſe eſt te graue & ſerium argumentũ ad finem vſque perducere Eraſmico more, ſed tantùm vſum doces linguæ Latinæ.

PROXIMVM annum ſi ſic animi cauſa impenderis iſtis analphabeticis, totam linguam Latinam paruo libello & vtili concluſeris. Et quia fortè vereris ne in longum excreſcat: principio quis longus debet cenſeri liber, ſi vnus modò à diſcipulo tractandus eſt? Deinde quando pingendo, legendo, & audiendo hic liber ſic decantabitur inter eorum manus, licebit ſubinde expungere, ſi qua ſæpius eadem occurrant, & in eorum locum alia ſubſtituere. Quanquam quid periculi, ſi

eadem crebrò in libro eodem compareant, licebit adiecto aduerbio, aut actiuo verso in passiuum, saltem faciem orationis mutare.

ALIVD restat. Vnus hic libellus omniũ instar erit, quod quidem ad linguam Latinam attinet. Itaque non solùm legendus est, sed tanquam iustus auctor habendus. Et quemadmodum scriptores cæteros legimus, & arrepta vocula quapiam, inde comminiscimur aliquot orationes; ita cùm lubebit tibi remittere animum, legatur ex hoc libello pagina vna, etsi qua vox rarior occurrat, tractetur bene, & viua voce ibi pensetur, quod fortè non sæpius insit in libello.

EGREGIVM cerno fructũ, mi Vasæe, & fortè multis vtilem laborem, si velis aliquid hic adhibere diligentiæ, vt eadem fidelia non duos dealbes parietes, sed multos, & vnus tibi libellus suppeditet linguam Latinam vniuersam, insignes auctorum sententias, adagia innumera, copiam orationis, insignium virtutũ & vitiorum definitiones, & postremò quod tibi & multis aliis queat esse vsui, vt in promptu à primis statim annis discamus, ne prouecti hæreamus in quantitate syllabarum. Mihi vsu venit siquando nugor, vt afflatum Apollinis perdam, dum non occurrit carmen Poëtæ, & video Grammaticos, a ante u corripitur, &c. Itaq; nuper dum insanirem defuncto Erasmo, animus erat semel mensem vnum elaborare, & hæsitanti perpetuum parare remedium, sed alia cura interpellauit: etsi à me alienum est ista iam ætate, tamen animus est nisi tu peruerteris, auxilio meorum Aethiopum illud laboris capessere. Sed ordine ad singula.

MVLTIS viris displicet ex auctoribns insignes locos, qui sententias graues continent, seligere, & in eis legendis operam ponere, propterea, quòd apud eosipsos auctores huiusmodi rectius intelliguntur, melius discuntur, quàm si quis ex multis auctoribus grandem sibi paret farraginem. Eiusdem sum & ipse propemodum sententiæ. Cæterùm & apud Græcos

non

non defuerunt qui scriberent γνώμους; & longè optimũ arbitrarer, si quis ita disceret linguã Latinam, vt quem vsum vocis accipit puer oratione alioqui inani, eum ipsum ferret ex huiusmodi oratione, quæ præter significationem vocabuli, etiam moneret aliquid: vt sunt adagia, apophthegmata, & similia, vbi vel est historia, vel fabula, vel tale quidpiam. Occurrit illud mihi Ciceronis: *Nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non auaritia comminuere atque violare soleat.* Insulciatur alicubi in Dialogis occasione vocis *Violo*, aut cuiusuis alterius. Ita quicquid insigne est & illustre, per occasionem interseratur. Cùm enim pueri sint tenacissima memoria, à primis annis ea imbibant, quæ nos postea senes vix magno labore discimus. Legimus totũ Terentium, nec quicquam postea meminimus, quàm eiusmodi locos insignes, qui si non minus eleganter scripti sunt, aut etiam elegantius, præstare opinor, vt tuus iste libellus horum sit plenissimus, etiam si excrescat plurimũ. Itaq; clausulas Valerij Maximi, & quicquid in tragico Seneca, in Cicerone, Plinio, & cæteris classicis auctoribus memorabile sit, quando suspicor te subducta linea in codicibus tuis illustrasse, ordine minister tuus exscribat, tu deinde pro tuo iudicio ex eo collectario in locũ aliquem dialogici libelli referas, aut libellorum; quid enim periculi, si in multos tomulos annus vnus excrescat?

IAM etsi primo anno non facies versificatorem, tamen velim te ex omnibus Poëtis eos versiculos eligere, qui præterquam quòd sententiam continent, aut historiam, aut aliquid dignum memoria, eam etiam contineant vocem, cuius quantitas canonibus generalibus non continetur. *Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis,* fermè sex locis aptari potest. Multa Horatius, plurima prębebit Ouidius. Quòd si ordine alphabetico feceris, tibi etiam nunc grandæuo poterit esse vsui, si sparsim immittas, velit nolit puer infiget memoriæ.

ET quia tam varias rationes colligo, vt spatio annuo

Latinum vtcunque reddamus diſcipulum, & vnum in librum totam volumus congerere linguam: cur etiam non hoc poſtremò addimus, vt congeſtis hinc inde au-ctorum dictis, titulos aliquot vberes de virtutibus & vitiis more Valerij, & de rebus aliis confingamus? De Patria, de Præceptoribus, de Medicis, de Philoſophis, de Pauperibus, Diuitibus, Regibus, Plebeis &c. Exempli cauſa.

DIVITIAE.

Re ſine nullus eris.

In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.
Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

ET item alia quæ eodem pertinent.

PATRIA.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Detinet; &c.

VIDEOR tibi fortè nimius, ſed tu ſeligendi debes eſſe arbiter Vaſæe, ſimulq; cogitare, tum quòd nihil offecerit, ſi quædam ſub anni exitum iam dialogicus codex contineat, quæ non planè intelligantur; tum verò ſenſim eò puerum deducendum, vt exercitio diſcipulorum grandium aſſuefiat, quos grandes & ipſe quotidie præter penſum ſtudiorum ſic exercere potes, vt & ipſi collectarium habeant ſententiarum, quæ pluribus conſtent verbis, qualia fuerint carmina aliquot ex Iuuenale, aut comparatio quæpiam ſpecioſior, vt illa. *Ac veluti in populo*, in 1. Aeneid. de ventis. Item reddēda quotidie ſex aut ſeptem adagia, & ſenſus eorum verbis paucis memoriter reddendus, de qua re nuper tibi ſcripſeram.

OMNINO ſupra opinionem res tibi ſuccedet, ſi modò piaculum ſit domi tuæ audire voces vernaculas, & quemadmodum antè monui, aliquot è grandioribus tibi velut hypodidaſcalos feceris, vt vicibus in orbem euntibus nemo docendo aut audiendo grauetur,

&

& analphabetici tamẽ iſti nullas habeant horas vacuas, quin ea vel legant præſente quopiam, aut ſcribant aut commendent memoriæ, aut cum Latinis colludant.

VELLEM vt hanc rationem publicè ſuſciperes, nõ inuitatus auditoribus, ſed vt collectis aliquot etiam rudibus & grandioribus natu, qui ſe obſequentes præberent, eos vnà cum domeſticis inſtitueres, fortè perſpecto tam eximio fructu, plures vltrò confluerent. Id modò te oro, ne pudeat ad hæc in ſpeciem minima deſcendere, & potiùs omnia Græca poſthabeto, etiam domi vt ais, fortè tradenda. Sis Paſcaſiorũ totus, donec finem videamus futuræ Cathedræ &c.

PVTO iam ſatis ineptiui, ignoſce Vaſçe, cupiueram heri abſoluere epiſtolam, ſed Paſcaſij me prolixum fecerunt. Vnum addam præcipuè curandum, vt ſitu & ordine ſcriptarum rerum oculis quoque gratus ſis, hoc eſt, in Dialogis omnem reſponſionem ſemper in nouo verſu colloces, hoc pacto:

Quid agis?
Studeo.
Vbi eſt Gulielmus?
Neſcio domine.

MITTO ad te principium Dialogorum Aethiopicorum, vnde ſimul & rem & ordinem agnoſces.

EA res tantum habet momenti, vt bonus alioqui liber planè damnari debeat. Scripſeram quondam tabulam Hebraicam, tabulam, inquam, non iuſtam Grammaticam, quòd & typi minores deeſſent, & Campenſem nollem videri emendare; eam ſic diſpoſueram, vt mirificè iuuaret memoriam. Modò vidi eam ſic impreſſam Pariſiis, dum Typographi chartæ compendium ſequuntur, vt meritò doctis omnibus meus labor diſpliceat. Sit iam tandem finis fabulæ. Imò adhuc vnum reſtat: magnopere conducere ad faciendam fidem huius inſtitutionis tuæ, ſi quem nanciſci queas puerum, non qui adhuc Grammaticam ignoret, ſed qui ne literam quidem viderit, quales ego accepi Aethiopes: & eum

ſic inſtituas, vt anno primo iam legat & pingat expeditè, loquatur & intelligat ſic Latinè, vt illos longè ſuperet, qui triennium iſtic artem audiuerint Nebriſſenſis.

NON debes Græcè docere in gratiam mearum Inſtitutionum, quando eam lectionem non debes, velim totus, vt dixi, ſis Paſcaſiorũ, etiam priuatim, & omnem lapidem contra Aquilam moueas.

RHETORICA ſiquando exire debebit, ſummopere adlabora vt noua præcepta, & in vniuerſum, quicquid ad præceptum aliud, aut aliam conditionem pertinet, occupet principium verſus, nam id valde facit ad perſpicuitatem docendi.

SATIS apertè & ſimpliciter imò ruſticè tibi depingo, quæ mihi ad iuuentutis rectam inſtitutionem conducere videntur. At velim te noſtra non ſic aliis tradere, fortè enim riderent, &c. quando iſtis iſtic diis nihil placet, niſi quod ſpecie commendetur.

ANTE abitum meum ſpero videbo Salmanticam. Sed quid mi Vaſæe, poſſéſne chartis iſta mandare? Dicerem ſi res vrgeret, vt te proximo bimeſtri conferres Braccaram, illic enim ad Decembrem vſque puto ſubſiſtemus. Verùm quando moleſtum eſſet, & fortè dubium, quando & Diuum Iacobum adituri ſimus, nec poſsim diem certum præſtituere, quo debeas me reperire Braccaræ, & omnino animus eſt, vos ante diſceſſum inuiſere, ne hic ſis anxius.

IAM equum alterum emimus, profecturi per gratiam Dei proxima hebdomada, Ora Deum vt illic res nobis bene procedat.

LIBELLORVM precia, quando non adſcripſiſti, tu in rationes referas.

DE Galeno meminero, & ſi in patriam iturus ſim, hîc tamen eum emerem, quòd multò minoris vendantur libri Aldini Salmanticæ, quàm Louanij, & fortè ibi non eſt: pòſt videro.

O chariſsime Marce, vbi agis, viuum an mortuum dicam? rogo Vaſæe rem aliquam habeamus certam.

COMMODIOR mihi erit patria Vaſæe, propagandæ linguæ Arabicæ, quàm Salmantica. Deinde ſi vnquã Salmanticæ ſum publicè docturus, potiùs id gratis facturus ſum, quàm alligatus Cathedræ.

DE Ciruelo hominum more ſuſpicatus ſum, & vt homo, falſus.

ROGAVI hîc nuper, quid Conſiliariis in mentem veniſſet, quòd Cathedram pronunciandam curarint vacuam; credo, inquit quidam, vt ex prouiſione aliquot haberent ducatos.

DE Gulielmo meritò times, Venus & vinum vereor ne adoleſcentem perdant; timeo ne aut ſuam alat more Salmanticenſium, aut ſi vagetur, morbum contrahat in Hiſpania Gallicum, aut imprudens implicetur paupérculæ alicuius nuptiis. Hęc non in eum magis quadrant, quàm in quoſuis noſtrates. Tu qui præſens es eum moneto: nihil habeo quod ad eum ſcribam, ſalutabis cùm è Medina venerit, & meo nomine roges, vt prudenter aliorum exemplis moneatur, ne qui bene artem ſuam didicerit, alicuius mali confinio tentetur &c.

Itinerarium, vt video, cupis profectionis Braccarenſis, confingam præclara nomina, vt delicatiſsima eſt illa τρυφίπολις, quo res videatur auguſtior, & Sertorio digna.

CLENARDVS SVO VASAEO, S. P. D.

SI ſum rediturus in Luſitaniam, coràm narrabo quæ mihi in hac contigerunt profectione Africana. ſin minus, & tu & orbis vniuerſus diſce rem omnẽ ex epiſtola quam ſtatui iampridem ſcribere ad Chriſtianos. Neſcio an ſufficiet pecunia quam modò attulit Gulielmus: licebit quidem exire Africa, modò Deus permiſerit: at priuſquã veniam Granatam, & inde ad vos, grauis reſtat ſumptus. Scripſi ad Principẽ, quę mihi Gulielmus narrauit ſe audiſſe ex Fogacio: quæ ſi ſuis literis

confirmet, dispiciam de alio vitæ genere. Putassem non decere conditionem alibi amplecti, propterea quòd causam non haberem cur alienarem me à tali Principe, & statuerā ea pensione contentus viuere. quòd si Deus causam offert vt fiam ditior, amplectar. De rebus meis quid fieri velim, scribam epistola proxima. Bene vale, mi Vasæe, cum vniuersa familia. Fesæ v. Augusti, Anno XLI.

GVLIELMVS his diebus grauiter laborauit, alioqui fueram eum istuc missurus cum literis. Nunc vbi Deus permiserit, hinc rectà pergemus Garnatam. illic me seruabo integrum, vsque ad responsum Principis. Conualuit per Dei gratiam Gulielmus, ipseque, vt puto, ad vos veniet. Multò, mi Vasæe, tolerabilius esset te istic inter amicos habere aliquot creditores, quàm me apud Barbaros rem habere cum fœneratoribus; non quòd istius culpam sustineas: sed vellem iam cū Gulielmo pecuniam totam mitteres; qua si caream, forsitan aliud mihi imminet incommodi, si velis omniū soluere postremus, quòd sis amicorum primus, & alij interim Gulielmum istic diu detinēt, fortè mihi euenerit quod nuper; qui si tantùm hyeme præsentis habuissem pecuniæ, quantum abs te deberem accipere, ante æstatem fuissem Garnatæ. tum centum aurei poterant efficere, quod iam vix præstabunt centum millia. Qui peregrinantur, sæpe in desiderium paruæ summæ, magnarum rerum momenta coguntur experiri. Quare etiam meritò istic mutuò sumere deberes, ne ego periclitarer quòd caream meis: quod vbi feceris, tum demum deplorabis tuam miseriā, & me accusabis, qui auctor fuerim migrandi è Salmantica. Felicitate abundas Vasæe. hinc istæ querimoniæ. quod reliquisti Salmanticæ, quouis recuperes tempore, vel te ipso iudice. quod nactus eras Braccaræ, & quod nunc tibi datur Eboræ, non passim omnes assequuntur, etsi bene calleant linguam vtramque. Si sapis, iam res tuas firmis radicibus stabilias, sic etiam vt quouis Archiepiscopo Eborensi, tibi

ista

iſta ſit ſalua cōditio. Nō enim magis eſt vitalis Princeps Henricus, quàm fratres cæteri. id ſi efficere non potes, ſi illud magis placet, recurre Salmanticam. ſin manes, conqueri poſthac deſinas. Ego, vt noſti, dum eſſem Salmanticæ, vltrò nihil de tranſactis detraxeram, tantùm Victoria mentionem iniecit, pro ſua prudentia, tam rebus tuis proſpiciens, quàm ſemper Vaſæi fuerat ſtudioſus. Bene vale, mi Vaſæe, cum vniuerſa familia. Feſæ XXI. Auguſti. Iterum Azilæ è faſciis Chirurgi, XVIII. Septembris.

CLENARDVS SVO COELIO, S. D. P.

PRIDIE Regalium factus in cœna ſic ſatis hilaris, & ferias præcidaneas more Belgico celebrās, protinus vbi menſa ſublata fuiſſet, Clenardus tuus inſanire cœpit, effuſoſque ſubitò verſiculos, heri ad noſtrum miſit Reſendium. Nam & ipſi quoque partem furoris acceptam fero non minus quàm tibi. Cæterùm cùm mihi in mentem veniſſet, quàm facerem indecorè, qui ſtudiis ſeuerioribus occupatus, vel meminiſſem quidem nugarum, qui fermè à poculis aut per viam poëtari conſueueram ſemper, heſternum diem peracto prandio totum dedi vatibus, & quantum iraſci potui, Iambis in vos inuectus ſum, & tanquam extremum vale Poëtis dixi: ſed ita vt illis cruces & exitium imprecarer, qui me ſic deſipere cogerent. At hodie quòd me morſicans frigus lecto diutius ſolito detineret, memor carminis ꝙ inchoatum tibi recitaueram nudiuſtertius, rurſum ad ingenium nugax redactus ſum, & priuſquam lumen poſcerem, conabar inceptis Lyricis verſiculis imponere coronidem. Accipe igitur, mi Cœli, inelaboratum luſum, non ad lucernam, ſed ad tenebroſam incudem redditū. Scis enim iam, per iocum me iſta veſtratia, & non ſeriò tractare.

ODE MONOCOLOS.

COBELI multigenis prædite dotibus,
Qui sacra redimis tempora laurea,
Vates egregio carmine nobilis:
Orator strepitu splendidus aulico,
Laudati meritis æmule Tullij;
Dum fessos animos sede domestica,
Externis reparas gnauiter actibus,
Sermonis Latij diues & arbiter,
Censor Cecropidum doctus & artium;
Nuper qui facilis linquere cætera
Quæ charæ dederant munia literæ
Cœpisti Solymos voluere codices,
Impigro studio, nec patiens moræ.
Cæli tergeminis inclyte gloriis,
Quæ te Musa precor blandior, otio
Admouit veteri? discere feruidos
Sic conata tuos frangere spiritus?
Horis insolitis ducere ferias?
Quo vox ista minax, ausa potentiæ
Certamen celeri dicere Principis?
Iam non ille modo viribus ingeni
A tergo positi fata Georgij
Collegæ poterit vincere suauiter.
Sed durante sui comparis otio,
Diana subitò posthabita, focum
Et libros repetit. nec Ioue frigido
Excurrunt alacres dira fugacibus
Spirantes catuli bella Lepusculis:
Nugæ nec reboant aucupis; & domus
Horarum toties peruia furibus,
Rumorisque noui plena frequentius.
Nunc tandem fruitur pace; sororibus
Parnasique tui credita ciuibus.
Nec rumpunt famuli, garrula concio,
Lectantis Domini grata silentia.
Arbitris procul ecce ocyor alite,

Ardens

Ardens Mosaicos persibilat sacros,
Grandæuumque studet vincere Cœlium,
Affixus schedulis dulciter horridis.
Eheu quantus adest sudor! inertia
Ventis pande citus vela; per æquoris
Campos Iudaici passibus ampliter
Te Cœli superat, temnere quem prius
Iactabas socium. non sine puluere
Insignem dabitur carpere gloriam,
Tanto prævalidi pondere militis.
Laudes eximij pectoris vltimo
Discendi poteras cernere tempore,
Ieiuno stomacho nescius assequi
Præceptoris opus fortiter improbi,
Pranso quod licuit non malè Principi,
Indictata rapit, præuolat acrius
Præceptoris opus vincier inscius.
Ergo tam volucri deditus æmulo,
Commissus dubiam victus in aleam,
Vanum si sapias lætus Apollinem,
Musarumque leues desere nænias.
Et neruos animi sumere pertinax,
Quod dudum vacuo tempore luseras
Decretis sapiens pelle laboribus.
Ne turpis maculæ crimina pristinis
Cessantis pariant funus honoribus:
Neu vulgus resono murmure fabulas
Decantet lepidas esse meis opus,
Iudæos apices dum peterent simul,
Freno Principibus, stipite Cœliis.

DOMINO ARCHIDIACONO NICOLAVS CLENARDVS, S. P. D.

SALVE M. N. Literas quas scripsisti XXX. Augusti, accepi postridie quàm redissem è Compostella, hoc est VI. Septembris. Sæpius apud me traducta fuerat

rat

rat Galecia, ob illuuiem & neſcio quas diuerſoriorum ſordes. Verùm ita mihi ea regio placuit, & tanta commoditas fuit in locis omnibus, vt eam præferam multis Luſitaniis, & maiore cum voluptate apud Galecos vixi, quàm inter Durium & Minium. Negari non poteſt, quin hinc ad Minium vſque, mira ſit montium & agrorum amœnitas, & fontes eiuſmodi ſcaturiant, qui vel ſoli me capere poſsint. Cæterùm, vinum, panis, carnes, & quæcunque laſsis viatoribus conueniunt, longè meliora ſunt in Galecia quàm in Luſitania. Bacchus candidus nobis illic quotidie fuit eiuſmodi, vt nihil inuiderem ne Eborenſibus quidem. Carnes arietinæ vendebantur Compoſtellæ quatuor realibus, quales fortè Eboræ non inuenias: bouinæ tribus. In ſumma, ceſſerunt nobis omnia feliciter, laus ſuperis. Cùm rediſſemus ad pontem Limæ, & quinque leucis abeſſemus à Braccara, vix quinto demum die huc venimus. In cauſa fuit equulus Gulielmi. Cùm diſcedere vellemus, tremebat manibus & pedibus: caſu Veterinarius quidam aſtabat, & aiebat eſſe *aguado*, ſiquidẽ pridie ſatis feſtinaueramus, & feruente die largiter potauerat, idq; vnico hauſtu, vt aiebat Medicus, inde ſcilicet malum ortum erat. Minuitur itaque miſero ſanguis quatuor in partibus, & ſanè effluebat aqueus: deinde obuinciuntur pedes, linitur eo ipſo ſanguine, adhibito ſale, cinere, & innumeris nugis & ceremoniis: iubeturq́ue ieiunare in noctem. Nos interim ociamur & ringimur. Altero die rurſum perfunditur aceto, & neſcio quibus medicamentis. Veterator à nobis abſtulit duos centuſſes. tantundem credo iuuenis debebat medico, quantũ meus ille ſenex, quo hac in profectione ſic vſus ſum, etſi bene exulcerato, & apoſtema gerenti perpetuum, vt nullam profectioni moram iniecerit. Docuit me hic ſenex reconcinnare ephippia, ſubuenire phaleris, & freno rupto, adeò vt parum iam metuam, ſi quid accidat infortunij. In manticis circumfero lanam, & fermè quotidie exerceo artẽ ephippiariam. Præterea artem iam teneo,

quo

quo pacto caueam ne clitellis dorſum lædatur. Poſtquam enim Minium traiecimus, relicto ephippio clitellas cepit Gulielmus, nam equulus nō erat iuſtæ magnitudinis. Quid multis? ad quāuis longam profectionem iam inſtructus videor: atq; haud ſcio, an eam propediem ſim ſuſcepturus. Aiunt Principem ad Nouembrem vſq; hic hæſurum, & circum circà inuiſurū vrbes. Mihi interim ſunt feriæ, quibus abuti cogito in profectionem Garnatenſem, & eadem opera valedicere Salmanticenſibus. Hactenus nihil egi cum Principe, vbi peracta fuerit Synodus, & equi vtcunq; refocillati fuerint, conabor & hanc profectionem ſuſcipere. Sed redeo ad pontem Limæ: Molliter tractandus erat equus tanto exhauſto ſanguine, & alioqui libebat obiter alias quoq; vrbes viſere. Itaq; contendimus Viennam, tribus confectis leucis: ibi eo die hæſimus. Ego à prandio accinctus gladio, perambulabam, imò perequitabam vrbem, & portum contemplabar, ridentibus nonnullis, vt mihi poſtea narrabatur, quòd ſubinde cum gladio & calcaribus, in eundem vicum inciderem: etſi vt Michael meus dixit, minimè opus haberem calcaribus, quòd aërem ferirem non equū. Deinde profecti ſumus Bercellas; quæ diſtat leucis quatuor: contemplabar locum humilem, & cogitabam quantū intereſſet inter Ducem Brabantiæ & Ducem de Bercellis, quo titulo gaudebat hic Dux Bragancię viuente patre. Subſequēti die pranſi ſumus Tabóſæ: diſtat locus à Braccara leuca vna. Cœnam habuimus apud Vimarinos, beneficio patris Iacobi à Murcia Prioris monaſterij de Coſta, quem vt inuiſerem in hac profectione Iacobæa, quinq; diebus circà Braccaram oberrauimus. At malui illud diſpendium, quàm hinc ad illum adire, cùm à nobis non abſit niſi tribus leucis. Habet ille lectores tres, eosq; Luſitanos. Bordalem noſti, qui à prandio docet ethica, ante meridiem phyſica; alius Dialecticam: tertius Rhetoricam, ſub quo militat filius Regis natus annos XIIII. Omnium lectionibus interfui; & viſi mihi ſunt in ſua

palæſtra

palæstra satis expediti. Priusquam discederem inde, apertè expostulaui cũ homine, quòd tam iniquè pronunciasset de nostro Aluaro: dixique & te & me vehementer fuisse miratos &c. Nosti M. N. mores meos, quàm sim apertus, nec vllis vtar ambagibus. Ille contrà sese dixit supra modum admiratum, quòd Aluarus nullas egisset gratias. Nam se sic apud Regem fuisse locutum, vt plus fratri tribuere nõ posset. Rogatum se ab Rege an cõfessio Aluari eadem esset cum responso Salmanticensium; respondisse se, per omnia conuenire, & nihil magis esse catholicum. Præterea inquit, reprehendi ipsos inquisitores, & condemnationem, quam ipse Alphonsus scripserat, sic confutaui, vt ostenderem initium contradicere fini. Multa alia inter nos vltrò citroq; habita sunt, sed hæc fermè est summa. Quare promisi me quamprimùm & apud te & apud Aluarum missis literis, innocentem à suspicione liberaturum. Noueram hunc D. Iacobum Louanij, & semper virum bonũ habui. Cùm hæc tam constanter apud me testatus sit, omnino puto falsum virum delatũ apud Aluarum. Oro M. N. vt hanc epistolam, & ad M. N. Aluarum mittas, & etiam ad D. Resendium, ne immerenti falsum crimen diutius imponamus. Quinto tandem die reuersus sum Braccaram, sanus atque incolumis. Per omnia benedictus Deus.

SED iam veniendum est ad epistolam tuam, de qua principiò id queror, quòd tam illegibiles pingas characteres. Idem apud me testatus est Marcus Vigerius. Gratiam habeo, quòd adeò celeriter responderis. Nihil posthac ad me dabis literarũ, priusquam te de profectione mea certiorem reddidero.

DE Polyphemo apud Taucos, si presens fuisses, longè magis tu bilem mouisses. Mea bilis, vt ait Resendius, tanquam rusticus est in aula. Quare potiùs ridendum fuit, quàm destomachandum. Depinxi fabulam in epistola ad meum Latomum, aliquanto lepidiùs, vt sciret quàm haberet nunc expeditum discipulum ad omnia

pro-

profectionum incommoda. Gulielmus meus etiam in hac profectione corruit, ſed hactenus nihil ſenſit: Ego per Dei gratiam freni ſum bene tenax,& multò celeriùs equum conſcendo,quàm ille: Contrà vincor in parte alia, quòd ille faciliùs inuenit vinum bonũ quàm ego.

De Conimbrica & Fabricio res habet vt ſcripſi. Nec te ſolùm,ſed & alios pleroſque certiores reddidi. Serò bonas literas adierunt Hiſpani,verùm auguror,ſi ſemel his in regionibus politiores diſciplinæ radices egerint, futurum vt quemadmodum ſunt cauſificiſsimi,ita euadant omnium Latiniſsimi. Vtriq; nomine tuo ſalutem ſcribam,& fortè ipſam tuam mittam epiſtolam. Sed caue M. N. ne te priuent canonicatu & archidiaconatu,quandoquidem ais te cupere relictis iſtis ſacerdotiis adhærere tali Blaſio. Facilè te liberabimus ſi velis. Sed quid diceret Reginaldus & Ioannes petit? Verùm omiſſis iocis,pergamus ad reliqua.

Carnifices nuſquam honorandos, dixit Sapiens,ſed Medicos.

Nihil iam me mouet dorſum equi læſum. Videãtur vel ipſa inteſtina, tamen noui quomodo tractandus ſit: plus me terret ſenectus,morbus incurabilis; nec deſunt qui aiunt natum annos triginta.

Congratvlaris mihi,quòd hîc tam habitem libenter,excepta ceruiſia: at illud nõ placet,Principem meis non vti conſiliis. Imò verò M. N. hîc ſerio triumpho, quòd immunitatem quam nunquam ſperaueram cõſecutus ſim. Placeant ſibi alij quòd adhibeantur negotiis, ego in hoc lõgè maximas ago Deo gratias, quòd tantum largiatur otij. Credo rem eſſe moleſtiſsimam videri bene conſulere, & tamen ſperni conſilium. Et quid quæſo vnus ego externus inter tot Luſitanos? At detrahitur aliquid exiſtimationi, & inutilis habeor. Iam M. N. dedidici pendere ex hominũ iudiciis: alioqui nunquam reliquiſſem patriam.

Eosdem quos nuper quiq; iam reſalutauerunt,

rurſum

rursum saluto, præcipuè: sed cohibeo me, ne si quempiam nominauerim, cuipiam videar facere iniuriam. Sint equi sani, sint insani, (quod hîc constanter aiunt de Rege Franciæ) tamen iam moderandi rationem teneo.

QVOD me Correo commendaueris, gratiam habeo. Salutabis eum quàm diligētissimè, & simul filium Ignatium. Vlysiponem puto videbo, priusquam Eboram. Cæterùm res meas curandas, intellexeram libros asseruandos, & reliqua, ne cibus essent muribus.

DE Brundusio obsesso nihil audiuimus. Sed allatæ sunt literæ quæ Romæ scriptæ sunt vltima Iulij, vnde didicimus Andream Doriam læsum, victoriam quidem obtinuisse, sed valde cruentam. Ne de nauibus quidem sic nunciant vt tua epistola, sed huiusmodi obliuiscor.

COELIVM salutaui, & ostendi epistolam, cùm heri me inuiseret. resalutat. alios conueniam cùm tempus erit.

VIGERIO respondebo: totum imputat illi qui hîc cum eo fuit, & nunc est cum altero.

AD quædam respondere non licet, adeò malè pingis. Bene vale colende M. N. cum vniuersa familia tua, Caspare Gonsaluo, Don Georgio, Ioanna, Lucretia cum filia. Braccaræ die Natiuitatis Mariæ.

SALVTABIS compatrem meum Ioannem Philippum cum vxore. item M. Nicolaum Cantaranum, hoc est, Montani illi fratres Antonius & Gaspar sint internuncij, nam & eos ipsos saluto.

SALVTABIS, hoc est, me commendabis Reuerendo domino Archiepiscopo Don Martino.

SALVTAT te Gulielmus cum Gaspare & reliquis.

REVE-

REVERENDISS. DOMINO D. IOANNI PARVO EPISCOPO DIVI IACOBI IN PROMONTORIO VIRIDI, NICOLAVS CLENARDVS, S. P. D.

SALVE Reuerendiss. domine. Epistolam tuam scriptam die VI. Maij, Vlysſipone accepi heri ſub noctem die IIII. Iulij. Quòd omnem diligentiam adhibueris de curanda pecunia, non dubito, & ago immenſas gratias. verùm hactenus nihil accepi niſi centũ aureos, quos ad me miſit meus Princeps, miſſos à Fogacio: in quibus tamen Carolus Correus bene fuit diligens. Sis iam de me ſecurus; ſpero non moriar fame.

ALIVD eſt, de quo ſuprà quàm dici poteſt lętatus ſum: Dominationem tuam rectè valere, & à morbo liberatum eſſe Correum. De hoc me literæ tuæ deſperare fecerant. Te ſemper ſenectus mihi obnunciat laborare. Vtinam intra paucos menſes vtrumque videam. Orabitis Deum, vt me peccatorẽ reſtituat patriæ. Poſt hunc menſem hinc me credo abiturum, cauſas ſcripſi ad meum Principem: Si rex Feſenſis mecum aget bona fide, feliciter ſum profectus in Africam: ſin fallet, multis ducatis onuſtus redibo, qui paruo illuc veni viatico. Etiam hoc felicitatis genus dicerem, ſi me ad profectionem incitaſſet amor pecuniæ. Quæris an ſpoliem Mauros. Etiam. Quomodo? Emi præceptorem CLXXX. ducatis, & eum Regi trado, precio quingentorum ducatorũ. Quòd ſi fuiſſem aſtutior, vendidiſſem aliquanto pluris. Quid reſtat, niſi vt emam alterum paucis aureis, & eum reuendam mille ducatis?

DE Ioanne Paruo gaudeo. Si diligentia par fuerit dotibus ingenij, multũ poterit proficere triennio: quo tempore, vt intellexi è patre Blaſio, tota abſoluitur ſumma Thomæ: poſt quam, quid eſt quod deſideres in Theologia Scholaſtica?

EGO hinc rectà proficiſcar Granatam, niſi quantum

N tem-

temporis abibit quærẽdo altero præceptore. Eſt quidã Malacę, eſt et alter Cordubę, tertius Hiſpali, omnes ſunt Tunetenſes, cupio omnes conuenire, & vnũ emere. E Garnata neſcio an profecturus ſim ad aulam Cæſaris, an potius per Conimbricam vẽturus ſim Eboram. Cupio tuum Ioannem coràm conuenire, & adhortari ad literas. fortè aliquid proficiam. Si aliquando ægrè tulerunt mea conſilia, non tamẽ deſinam agere amicum.

AIS Reſendium conſternatum, nec mirum. Non enim tam propicium habiturus eſt patronũ, quàm erat Cardinalis. Scio eum tempore Cardinalis aliquid accumulaſſe, orabo vt mihi partem donet in profectionẽ Flandrenſem. Scribis neſcio quid de meo Principe. vos illũ expectare pro Prælato. niſi inquis feceris illũ minus ſuperſtitioſum, dicunt illum nolle acceptare duas prælaturas. hæc verba tua, neſcio an ſcripſeris *minus*, an *nimis*. Ego epiſtolam ad illum his verbis concluſi. De caſu fraterno hoc tantùm ſcribam, grauibus exemplis Celſitudinem tuam pulſari, ne quid de religioſo animo deperdas. audio te nolle duas prælaturas, gaudeo. quòd diſpliceat Galerus, doleo. O ſtulte Clenarde, inquies, cur non potiùs optas illi Epiſcopatum Eborenſem, vt tu ſias Canonicus? Reuerendiſs. domine, Canonicatus meus eſt in ſchola Arabica, cuius principia futura ſunt in Flandria, ſi Deus permiſerit.

VISVS ſum vobis rem magnam aggredi: maior tamen eſt, quàm noctes dieſque cogito. Quòd niſi Principes Chriſtiani propoſito meo fauerint, puto me rationem inueniſſe, vt etiam inuitas cogam Chriſtianorum Academias diſputare contra Machometum. Rem hanc incepi nulla adductus gloria, nulla cupiditate pecuniæ, ſpero Deus propoſito meo felicem imponet coronidem.

AIS Doctorem Ruy Lopez fauere meo propoſito; quando aliquot millia dederit parãdis meis diſcipulis, tum re vera credam. Id ei ſignificabis epiſtola proxima, & me homini amico plurimum commendabis.

DE Epiſcopatu tuo hoc dico, te nũquam exiturum Luſitaniam.

QVANTVM potes, cura ne abſens oues negligas. Nam vt præſens paſcas, ſomnium eſt; hodie Theodoſij regunt Ambroſios.

CATONEM Reginaldum plurimum ſaluto, curet vt inueniamus bonum vinum, dignum palato Archidiaconico.

GRATVLOR patri Gaſpari, oro vt tam probus viuat ſacerdos, quàm mihi viſus eſt acoluthus.

QVICQVID miſſurus es literarum, mittes Garnatam ad D Marchionem, vt ſeruet in meum reditum.

VENIO ad ſalutationes. Inprimis ſaluto vniuerſam tuam familiam, deinde vicinos omnes, & reliquos amicos canonicos. Maximè verò gratias ages Carolo Correo, et meo nomine ſanitatẽ recuperatam gratulaberis. Vale Reuerende D. vrget nuncius, qui heri aduenit. vbi me Deus reſtituerit Europæ, ſcribam de profectionis exitu. Iterum vale, & ora Deum pro me. Feſæ v. Iulij.

REVERENDISS. DOMINO D. IOANNI PARVO EPISCOPO DIVI IACOBI IN PROMONTORIO VIRIDI, NICOLAVS CLENARDVS, S. P. D.

SALVE Reuerendiſs. domine. Nuper paucis tecum egi, & oſtendi quo in loco res meæ eſſent. Amore literarũ eò deueni, vt iam hîc debeam ducẽtos ducatos, eosq; forſitã ſaginabũt vſure, niſi Braccarẽſes mihi opẽ tulerint. Miſer, inquis, es Clenarde. Imò verò felix, & iam omnia bona de meo ſucceſſu auguror. Cæſar quoties in Turcam arma capit, an illum putas non conſulere vſurarios? Ego qui totus feror in Machometum, cur tantis conatibus indignum putem appellare fœneratores? Si nihil contra mihi debitum eſſet, tamẽ non deſperarem, quin Epiſcopus Paruus & alij amici operam

darent, ne me captiuum & obæratum ſinerent perire inter Mauros. Nunc quando mihi Braccara proximo Ianuario debuerit C C C C. aureos; oro D. T. vt ſi quid potes, me vel ipſe partim adiuues: vel, ſi dabitur occaſio, mentionem rei apud Principem facias. Scripſi ad Fogacium, itemque ad Vaſæum. Adeò me tentauit hoc tempus, quo vixi Feſæ, vt ad lõgè grauiores caſus factus ſim patiens. Verùm de omnibus coràm. Tantùm Deum ora, vt me ſaluum vobis reſtituat. Atq; hactenus mea.

VENIO ad alia, quę velim D. T. propius aſpiciat. Et ſi Rex nihil indignũ faceret animo & propoſito ſuo, ſi magna etiam pecunia conſtitueret Conimbricæ profeſsionem Arabicam: tamen de hoc nihil agam in præſentia. Spero enim per gratiam Dei, me ſic omnia moderaturum, vt meo propoſito Principes viri ſint auxilium laturi: et quemadmodum nuper ſcripſi, Academię Chriſtianorum contra Machometum pugnent vel inuitæ. De Hebraicis literis conſilium ineundum eſt, nõ quidem vt rectius intelligamus vetus Teſtamẽtum, ſed vt ſint inter Chriſtianos, qui ſic calleant Hebraicè, vt & voce & calamo valeant pugnam capeſſere. Viuo hîc inter Iudæos, qui lõgè magis mirãtur eſſe Chriſtianos, quàm nos miramur eſſe aliquos adhuc Iudæos. Quid mirũ? nihil enim ſciunt de nobis, niſi quòd ſtrenuè Iudæos comburimus. Quod ſi tãti ſumptus fierent in Hiſpania ſeruandis Chriſtianis nouis, quot fiunt perdendis: credo non ſic quotidie huc fugerẽt. Ita Franciam, Flandriam ac cæteras nationes ornari literis Hebraicis pulchrum eſt, ſcilicet vt rectiùs intelligant vetus Teſtamentum. In Hiſpania verò vbi linguarum ſtudia frigẽt, propter ingentem turbam cauſificorũ, pręter alia commoda, hoc quoq; nomine vigere deberent hæ literæ, vt fides Chriſtiana purior eſſet. Si mali ſunt Hebræorum libri, ab ipſis cremabuntur Iudæis, vbi eos reddideris Chriſtianos. Apoſtolorũ prædicatione perierunt idola, nec tamen ipſi ſimulachra tradiderunt ignibus, ſed fidem Chriſti animis hominũ ſtuduerunt indere. Nullos

Apo-

Apostoli sedibus suis expulerunt. Nos Iudæos exegimus ex Hispania, quo fructu? vt falsos Christianos traderemus ignibus, & reliquos sineremus viuere in Africa. Quanto melius fuerat eos seruare seruos, quàm tam multos comburere liberos? Quare quando meo consilio res moderabuntur, id est, ad Calendas Græcas, repentè nouus erit orbis, & reuocabũtur Rabini aliquot Iudæorum, vt inter Christianos ferueat lingua Hebraica. Quo sumptu alemus Professores? Multa millia profundit Rex in istas sanguisugas, quarum studio mundus feruet litibus, & ea pecunia seruiet Professoribus linguarum. Ipsos autem causificos mittemus Fesam, vt discant vna diecula finire maximam controuersiam. Id enim hactenus ignorauerunt. Quòd si sciant & nolint, vniuersos adigemus in crucem, vt quiescamus à litibus. Extra iocum, facilè Rex adduci posſit, vt insignem aliquem habeat Iudæum, qui doceat Conimbricæ. Iudæum? Quid ni? Sunt hic Fesæ doctisſimi, qui sic callent Hispanicè, vt ego Flandricè. Deinde & aliud est quod fortè moueat inquisitorem maiorem. Iudæi plus tribuũt fermè suo Talmud, quàm his XXIIII. libris, quos vocamus vetus Testamentum, estq; totum eorum studium in rebus Talmudicis. Si non ob aliud, certè hac gratia tamdiu Iudæus quispiam alatur apud Inquisitorem, donec totũ Talmud habeat conuersum in linguam vernaculam, vt suis oculis videre posſit, quoties Inquisitoris fungetur officio. Insunt in iis libris multa alioqui digna lectu nec iniucunda. Quòd si Bibliothecã nostram ornamus gentilium libris, Platone, Aristotele, atque etiam Homero & Luciano, cur non aderunt ij libri, in quibus pugna est de religione? Nihil tam confutat vel Mauros vel Iudæos, quàm istiusmodi eorum codices. Alioqui quæ vulgò à Concionatoribus contra eos iactantur, sæpe valde sunt inania, & præstaret tacere, quàm ridiculum agere patronum sacrosanctæ nostræ fidei. Currente calamo tibi proposui quæ melius ipse digeres. Si hanc causam susceperis, adiuto-

rem puto habebis fratrem Michaëlem, qui solet agere apud dominam Spinariam. D. Martinus fauebit hoc nomine, quòd res est inuisa Monachis, à quibus dira scio mihi expectāda, propter studiū Arabicum. Scripsit modò ad me D. Marchio Granatensis, Colloquia Erasmi ignibus destinata esse, cum aliis libris compluribus, vbi malè audiunt Monachi: periclitari etiā Viuem. Quid me futurum censes, vbi nomen Alcorani audiuerint? Eia insurgant & nobis facessant negotium. Quomodo vales D. Episcope? Quid rerum gerit Paruus minor? Si me amas, scribe per otium epistolam longissimam. Saluto inprimis tuam familiam, deinde vicinos omnes, ac dominos Canonicos, præcipuè D. Episcopum Salensem, ac meum Confessarium: item M. Antonium Medicum. Resendium ne salutes, nunquam enim resalutat. Bene vale optime domine. Meo nomine scribes salutem Carolo Correo & Nicolao Cantareno. Fesæ IIII. Decembris, Anno XL.

REVERENDISS. DOMINO D. IOANNI PARVO, EPISCOPO DIVI IACOBI IN PROMONTORIO VIRIDI, NICOLAVS CLENARDVS, S. D. P.

SALVE Reuerendiss. domine. Nō sum par referendæ gratiæ, quam meritus es in meo negotio. Deus bonitati tuæ rependat. Noli ex paucis verbis æstimare meum animum.

GVLIELMVS, vt scis, curiosus est; oblata fuit ei causa vt multa disceret. De Iudæo & aliis agemus coràm, si Deus voluerit me reuerti in Lusitaniam. Principem meum esse prudentem, vt scribis, liberalemq́;, vbi opus est, semper iudicaui. Verùm sunt tam multi qui quotidie petant, vt difficile sit omnibus satisfacere: & præstat, vt aliqui eum dicant parcum, quàm prodigum,

&

& obæratum multi. Ais omnes teneri mei desiderio; de dominatione tua nihil dubito. nam & ego mirificè cupio amicos inuisere, tam Lusitanos quàm Flandrenses. Vtrisque propediem finem imponam. Nam si eo animo est Princeps, quem narrauit Gulielmus, nec patriam posthac visurus sum, nec Lusitaniam: sin pacta mihi seruantur, statim isthuc venire est animus, & inde rectà pergere in Flandriã. Valde doleo, optime domine, quòd tamdiu abfuerim à parẽtibus: timeo enim, ne non possim mores patriæ ferre, & cogar etiam inuitus redire in Lusitaniam. Cùm enim illic habeam tot consanguineos, nunc ad nuptias, nunc ad Baptismum, nũc ad conuiuia vocabitur Clenardus, qui longè malit frustum panis edere apud librum Arabicum, quàm versari in hominum strepitu.

SCIO te cupere vt redeam, sed contrà puto te fauere meis commodis. Si me amas, noli verbum vnum dicere Fogacio, aut alicui mortalium in mei gratiam. Putassem me peccasse, si cùm talem haberem Principẽ, & constitutum senectutis viaticum, vltrò aliam quæsiuissem conditionem: nam iam statueram illis centum millibus contentus viuere. Quòd si Princeps dona sua vult irritare, nõ interpretabor infortunium, sed magnũ beneficium. Cur enim debeo resistere, si Deus me vocat ad potiora? Semper dicere solebam parentibus, nõ esse periculũ de paupertate, sed ne ditior fierem quàm expediret. Quare ego in hac re in vtrumque paratus sum, nec volo solicitare vt Princeps pacta seruet, nec occasionem offerre ne seruet. Fiat voluntas Dei, nescio enim vtrum mihi magis conducat.

GVLIELMVS postquam aduenit, incidit in grauem tertianam, & valde debilitatus est, alioqui eum fueram istuc missurus, & hîc expectaturus responsum Principis. Nunc est animus, simulatque conualuerit, & per æstum licebit, hinc rectà contendere Garnatam. Illic me integrum seruabo, donec Principis habeam sententiam. Nihil enim de

vitæ genere volo mutare, nisi Princeps suis literis ea testetur quæ narrauit Gulielmus.

SVCCESSVM rerum mearum in Africa narrabo coràm, si rediero, alioqui disces ex epistola quam statui scribere ad Christianos. Bene vale mi domine, & ora Deum vt me peccatorem dirigat.

SALVTO vniuersam familiam, vicinos & dominos Canonicos, & compatrem meum Ioannem Philippi. id pertinet ad patrem Gasparem. Fesæ. V. Augusti, Anno XLI.

SALVE rursum reuerendissime domine, Gulielmus gratia Dei conualuit: iterumque eum mitto ad Principem, hic permansurus donec redeat. Volo enim scire certò statum rerum mearum, priusquam abeam ex Africa, saltem prius quàm veniam Garnatam. Intraui Fesam diues quotannis centum millibus, si ista hîc Arabicando perdidi, iam habet tua dominatio maiorem aliquanto causam inuidiæ. Siquidem nuper scripseras, dum me obæratum intellexisses, te mihi inuidere; iam seriò licet inuidere. Nisi illam pensionem credidissem certam; quod præmium esset meorum laborum, nunquam venissem in Africam: nunquam etiam reiecissem quod obtulit vltrò D. Siliceus. Nam cùm è Garnata de consiliis meis eum fecissem certiorem, promisit se curaturum, vt nihil mihi deesset, si rem instituere vellem Garnatæ. habiturum me libros quotquot expeterem ab inquisitoribus; omnesq; Hispaniæ proceres me habiturum fautores. Nolui; & fundamenta dicebam esse iacienda in Flandria; statuebam enim apud parentes viuere, dum ferre possem, & partim docendis hominibus, partim edendis libellis meo principi esse honori. Quid respondissem Siliceo, scripsi ad Principem: qui etiam postea literas ad me misit Fesam, se gaudere quòd decreuissem vertere Alcoranum: & si quibus indigerem pecuniis in libros, se acturum dicebat apud Regem fratrem. Ianuario etiam sua manu exarauit epistolam Principe dignam. Ego hîc interim Fesæ cum

monstro

monstro quodam luctatus sum homine Lusitano, qui modis omnibus studia mea debebat iuuare: at contrà, me sic perdidit, vt & nullo profectu hìc vixerim, & nouem mensibus me detinuerit captiuum, ac fermè in capitis deduxerit periculum, adeò vt eum dignũ credam, qui ab omnium studiosorũ vnguibus discerpatur. Pro his tantis meis malis, id adfertur mihi mercedis, vt non solùm caream Principis solatio, non enim ignorat mea hic mala, sed etiam eo stipendio spolier, quòd mihi viuente Principe quotannis debetur, vel inuito: Aut fateatur necesse est, se turpiter me inanibus pactis voluisse decipere. Narrabit D. T. Gulielmus, quale sit istud monstrum Africanum. Decantabitur toto orbe, si istum ad modum pergat me tractare Princeps.

MIROR ipse de me, cur ista me non magis conturbauerint. Nisi pristinam meam pusillanimitatem Deus iam profligasset, poteram tali nũcio in lethalem incidere ægrimoniam. Verùm D. Episcope, simus forti animo: non moriemur fame, quamuis non alamur à Lusitania. Vocat me Deus ad altiora: & iam fermè sum hìc factus summus Pontifex à quodam Iudæo mihi amicissimo, & discipulo in Grammatica Arabica. quid vis amplius? Fesæ in meditullio sophorum docet Clenardus Arabicè, nam discere non permittitur.

AVDI & aliud. Medicus quo vsus est Gulielmus febricitans, talis est Astrologus, præceptore vsus Zacuto, vt hodie parem non habeant Iudæi. Is facta mentione huius sciẽtiæ, quam ego planè futilem prædicabam. Et quotum, inquit, annum agis? vt scilicet de fatis meis aliquid pronunciaretur. Ibi etsi malè haberet, statim cœpit mecum suo more rixari Gulielmus, & grandiorem natu me faciebat quàm vellem, statuitq; mihi annos XLVII. quos annos an iam natus sim, an iam annum agam XLVII. ipse nescio: pronunciabit tamen de Clenardo iste Astrologus. Rogabat quo die fuissem natus. Respondi, pridie Nicolai, noctis hora XI. aut XII. aut interiecto inter eas tempore: nam sic memi-

neram audiſſe à matre. Et tamen fieri poſsit, vt pro meridie poſuerim noctem: certè circa feſtum Nicolai ſum natus. Etiam de natali ſolo percunctabatur, & quot eſſent gradus latitudinis, & conſimilia, de quibus etiam veriſimile eſt me aliquid reſpōdiſſe indubitatum, quòd tam ſim peritus, vt noſti, Mathematicus. Conſcripſit tamen omnia noſter vates, annos ſupputante Gulielmo, & tam certa ſunt ei quæ ego dixi cætera, quaſi manu geſtaſſet aſtrolabium, & aſtitiſſet me in lucem edente matre.

NE dubitet tua Dominatio, quin lætum ſit in mei gratiam prolaturus oraculū, & vel Cardinalem facturus ſit ſcholæ Braccarenſis, vel etiam pauperculum aliquem Papam. Quare inquis in tui gratiam? Eſt homo natus annos fermè XC. mihiq́ue factus eſt diſcipulus Græcanicus. Noli ridere D. Epiſcope. Eſt puer bonæ ſpei, iuxta prouerbium δὶς παῖδες οἱ γέροντες: iamq́; fermè nouit alphabetum, niſi quòd interdum nobis eſt in lectione mora, quòd domi oblitus ſit ſua conſpicilia, & vitreos oculos, quibus omnino opus eſt ad diſcernendum inter literas ν & υ. Si iſte me ſenex fecerit alicubi diuitem, boni conſulam, ſi mihi mea laborum præmia denegēt infantes. Quin & in Latinis, mihi Iudæus quidam fuit diſcipulus. Aliquid eſt anni ſpacio Feſæ tres docuiſſe linguas. Ne igitur angamus animum, quamuis nos contemnant Luſitani. Vaſtus eſt orbis, & iam factus ſum patiens malorum diuerſoriorum, actis aliquot noctibus ſub tentorio in Africa.

SI me poſthac Princeps non agnoſcit, non ſtatui continuò quamuis amplecti conditionem. Ait Gulielmus mihi apud Principem reliqua eſſe centum millia: præterea CCC. ducati ad me venire debent, è redemptione mei Charuſij. Ea credo pecunia ſufficiet nobis in biennium, vt liberrimè nulli ſubiectus illic viuam inter Mauriſcos, & cum ſolis Arabicis literis rationem habeam, colendo tamen Marchione, & tanti viri tutanda beneuolentia. Stat enim ſententia D. Epiſcope, quòd inſti-

inſtitui de bello Antimachometico proſequi, etiamſi deberem viuere mendicato. Quid facies, inquis, poſt illud biennium? Deus prouidebit: mihi libet poſthac ſine omni cura viuere. An putas me quaſi deſperatum protinus venturum in Luſitaniam, & ambiendis multis rogaturum Principem, vt mihi mea ſalua ſint præmia? Non poſſum poſthac eſſe tam humilis. Fortè non procul abeſt dies ille extremus, & quid attinet ſollicitum eſſe, non de craſtino, ſed de anno tertio? Interea appetent Aſtrologorum bona: quæ ſi me fruſtrabuntur, cõfutabimus iſtam vanam ſcientiam. Sin erit Clenardus Papa, primùm omnium inuadam Luſitaniam in hunc modum.

PRAECIPIMVS & mandamus, vt dilectus frater noſter Epiſcopus de Sale, & item Epiſcopus de Targa, non attingant fructus & prouentus Africanos, niſi nouerint bene Arabicè.

PRAECIPIMVS item & mãdamus, vt ſi qui poſthac oberrent in Luſitania nepotes Clenardi, ne quis argenteam vel auream porrigat eleemoſynam, ſed in morem dilecti fratris noſtri Epiſcopi diui Iacobi, in promontorio viridi, primùm nebulones iſti ad ruborem vſque ſpiritalem accipiant eleemoſynam: deinde, ſic acriter obiurgati, non breuem auferant cum ſyncope ſtipem, ſed citra omnem figuram, longiſsimo vapulent ſtipite. Quòd ſi quis Margallus, aut alius Eborenſis Canonicus dederit Teſtonem, hac pœna plectatur, vt non poſsit Miſſam legere, ſed cogatur eam cantare. Reſendius autem & Vaſæus, ſi ducatos aliquos iſtis erronibus largiantur, Reſendio interdicatur anno toto arte poëtica, & agricultura, nec liceat ei ſcrutari vetera marmora. Vaſæus autem vino careat tribus menſibus, niſi fortè gratis ad eum miſerit Reſendius, aut Petrus Gometius. Quid? inquis, cùm periclitaris de tuis ſtipendiis, potes iſtos iocos ſcribere? audi contrà. Cùm videam me abiectum à Luſitanis longè ſperare meliora, an póſsim triſtari? Veniet ſpero tempus, cùm me aliquid

quid poſſe dicturus es. Atque vtinam ſic eſſet in foribus ver, vt appropinquat hyems, inuitarē dominationem tuam, vt me pauperem iam, & nulli aſtrictum inuiſeres. Non ego te ad Marchionem deducerem, quem tantum tibi placere dicit Gulielmus; ſed efficerem vt ipſe Marchio Magiſtro Parui prodiret obuiam cum centum aut ducentis equitibus. Fac periculū, & coràm diſce huius Marchionis mores. Virum talem non habet orbis vniuerſus, nedum Hiſpania. Scio multa narrauit meus Gulielmus, niſi virum videris & audiueris, nihil virtutum eius noſti. Si illic æſtate proxima manſero, omnino vidēda eſt tibi Garnata, vrbs inſignis, & omniū rerū copia diues. Nunquam Marcus Vigerius ibi homines vidit rixantes de caulibus aut braſsicis. Annona quidē illic etiam increuerat, ſed tamen hæc eſt vrbis fortuna, vt moriente Hiſpania reliqua viuere queat Garnata. Atque hæc ſcribo, non quòd iam ſim Garnatenſis, aut vllam ibi mihi D. Marchio ſpem conditionis propoſuerit, ſed quòd ſuſpicer me illic aliquandiu victurū meo ſucco, ſi mihi adimuntur ſtipendia Luſitanica: quæ nō alia de cauſa cuperem ſalua, niſi vt inuiſerem patriam; quam tametſi vehementer deſidero, cogor tamen eam omittere, ſublatis meis præmiis. Atque haud ſcio, an etiam manente mihi ſtipendio, ſtatim venturus ſim in Luſitaniam: tota iam vita mea pendet è ſtudio Arabico, quod proſequi malim perditis ſtipendiis, quàm iis ſaluis omittere. Inſanis, inquies. Iſta mihi inſania iam cœpit placere, nec velim videri ſanior. Præceptorem aliū nunc quærimus, nec deerit viuente Marchione. ſtatim vbi eum nactus fuero, & ſatis habuero viatici, iſtuc veniam, & ſalutato Principe vellem adire Flandriam, facturus periculum an ibi inter niues & frigora poſsim viuere. Si non potero, Eboram redeo aut aliò quopiam concedam, vbi permittente Principe cōmodè tractem Arabica ſtudia. Nihil mihi dicas de Conimbrica: Regnent illic cauſifici & mendicent Theologi. Si publicè docebo, volo ingens auditoriū; ſi domi me oblectabo

tantùm cùm præceptore, quiuis locus fuerit idoneus, modò ne rixentur de brassicis.

PECVNIA quam modò Gulielmus attulit, nõ sufficiet vt istuc redeam. Præterea conabor modis omnibus emere alterum præceptorem.

QVARE Dominationem tuam oro, vt quando in mei gratiam misisti centũ millia, si ea recepisti, ne iam graueris mittere quinquaginta. Adfert Gulielmus chartam subscriptam meo nomine, inscribi curabis quæ velis, ne aliquid pericliteris. De omnibus narrabit ipse Gulielmus, quem his literis procuratorem instituo rerum mearum. Nihil mihi de formulari instrumentorũ, quòd odio habeam totum agmen causificorum; testor, protestor, volo, iubeo, oro atque obsecro, vt ista verba tam sint valida, ac si veniret cum instrumentis vniuersæ Hispaniæ. Ista, reuerende domine, apud te sint satis. Hîc nullos habeo Alfakios, qui nossent conscribere Lusitanicũ procuratorium: quare etiam liberi sunt à sempiternis istis litibus.

RELABAMVR à seriis ad iocos. Non solùm amicus ille Iudæus me pronunciauit futurum Papam, sed iam hîc fui annum totum seruus seruorum Dei, hoc est vt puto, in Italia esse summum Pontificem. Fuit enim mihi Fesæ cum monstro isto Africano colluctandum, quòd eas in angustias fraudibus suis me adduxit, vt antequam consulerem vsurarium, è peculio vixerim duorum seruorũ, quibus debitor esse coactus fui ad reditũ vsque Gulielmi. Ij duo poterant à me redimi, nisi contra nos pugnatũ fuisset mendaciis. Regi offerebam in eos C C C. ducatos: aiuntq; eum fuisse contentum. At subitò quidam rumorem sparserunt, eos mihi esse sanguine iunctos. Affirmant etiam istius rumoris auctorem esse istum omnium mortalium pessimum, qui me hîc tanto tempore diuexauit. Post aliquanto, cùm eam pecuniam in eos impendissem, quos iste perfidus cupiebat è seruitute liberare, facilè rumor est mortuus. Nam Telonem adij, per quem ista Regis negotia transiguntur,

guntur,

guntur, qui & ipse confessus est mihi, falsa ista esse mendacia. Et simul cœpi aliam proponere viam, si fortè hos duos Christianos potuissem redimere; cùm nec ipse præsentem haberem pecuniam, nec illi vllam iam spem haberent in mercatoribus. Verùm non processit redemptio. Alter eorum est nostras, non è Brabantia, sed Flandria: alter, reuerende domine, vestras est, habetque Rhotomagi vxorem. Solent isti serui hîc viuere liberiùs & libidinosè, contracta cum serua quapiam consuetudine. Istorum neuter hactenus hoc nomine malè audiuit. Nostras in mercatorum manibus habebat C. XXV. ducatos, quam pecuniam apud mercatorem deponendam curauerat eius frater in ipsius vsum: poteratque insigniter eius confici redemptio, si esset in hominibus fides. Aderant hîc duo Eleemosynarij, & simul ego præsens fauebam. Ipse eam paratam habebat summam, quę si satis non fuisset, orassem Eleemosynarios, vt subuenirent. At mercator penes quem erat pecunia, semper detrectabat, obfuturum dictitãs, si hominis mentionem faceremus. Et quandonam tandem, inquam, tanta erit redimendi occasio? Inter mercatores istos, vt rem intelligas, non desunt qui multos annos huiusmodi tractant pecuniam, & interim miseros relinquunt in seruitute. Cùm abiissent Eleemosynarij, & tandem ipse animũ adiicere cœpi ad redimendos captiuos mea commodanda pecunia, & hunc cum vestrate nominassem; repertum est consanguinitatis mendacium, an à meo monstro, vt quidam suspicatur, an ab ipso mercatore, incertum est. Paucis pòst diebus, mercator hinc abiit, dixitq; se iam nullam posthac habere in huius vsum pecuniam, ꝙ nescio quis alius mercator esset in Flandria mortuus, à quo velut fonte profecti fuissent nummi. Itaque miser & frustratus, qui & eximi poterat è seruitute, & statim mihi ferme totam redemptionem soluere, qui iam obæratus hic mansi, quòd in eius locum, alterum quendam redemi monachum, fide iubente meo monstro. Vestras autẽ statim

mihi

mihi redditurus fuerat quicquid impendissem : nam aderat vnus atq; alter mercator Gallus, qui hominem volebant iuuare, & ipse præterea habebat nescio quid peculij, quod tamen sciri nolo apud Oratorem Honoratum, ne minus emungat à Rege. Nisi turbata fuisset res nouis mendaciis, illi iam essent liberi in patria, & ego sine omni iactura Octobri superioris anni hinc abiissem, qui ab eo die rem habere cœpi cũ fœneratore, & ita sum ab isto portento exagitatus, vt mirer cur non sim morbo aliquo correptus, & è vita sublatus. Verùm oportebat me occasionem nancisci, & materiam, vt aliquando omissis rebus Grammaticis res gestas describerem, & orbi monstrarem meliórne essem Grammaticus, an descriptor monstrorum. Valde vt intelligo vapulat ea Grammatica, quam edidi Braccaræ, nec placet Lusitaniæ. Quæ si me posthac nolit alumnum, crede Reuerendissime domine, tam graphicè depingam istud monstrũ Africanum, vt gratiam sim initurus apud multos Lusitanos. Fortè Gulielmus adferet epistolam, quam modò ex tempore scripsi ad Siliceum, inde coniecturam facies, an aliquid in eo genere queam præstare. Quòd si eam nõ attulerit, coràm narrabit historiam huius monstri. Ad captiuos redeo.

EGO, Reuerendissime domine, tam parum diues, quinque Christianos hinc exemi, partim donata pecunia, partim periculosæ fidei credita. Tu vnum tantùm redemisti multò me ditior. Quis iste? inquies. Arabicator Clenardus. Ita enim interpretor, me diutius hîc debuisse persistere, nisi humanitas tua interuenisset meæ seruituti. Vestratem tibi commendo, tu eum Honorato Oratori, ille hominem commendabit Regi. Scripsi ad meum Principem, licuisse suo Clenardo inter hos barbaros mori fame, nisi hi duo interuenissent serui, suo me iuuantes peculio, cùm tamen hîc ageret factor Lusitaniæ. Vtrumq; ei commendaui, & æquũ esse dixi, vt à Lusitanico Eleemosynario respicerētur, quòd pecuniã in hos duos destinatam, illi abstulerunt, quos redimere

ſtuduit Eleemoſynarius, at non potuit. Nunc omnibus omiſsis, vtrumque dominationi tuæ commendo. Ego ſi nummos haberem, vtriq; crederem. Aiunt huc venturũ Oratorem Luſitanum, qui iam agit apud Regem Feſenſem in caſtris. Si æſtus me hîc ad illius vſq; aduentum detinuerit, videbo an aliquid poſsimus efficere in iſtorum vtilitatem. Dominatio tua interim moneat Honoratum. Scripſit ad me Carolus Correus de quodam ſeruo. Is iam liber abiit hinc ante biennium, niſi fallat memoria in tempore. Nam ſedulò inquiſiuimus. Quòd ergo in illum beneuolentiæ volebat conferre, in hunc transferat Rhotomagenſem. Id illi meo ſignificetur nomine, & ſalutetur, ne neceſſe habeam ad illum ſcribere Latinè.

SI Honoratus ægrè ſuſcipit prouinciam impetrandæ pecuniæ, & nolint Luſitani vel Gallos vel Flandrenſes redimere, cùm iam debita etiam adimant præmia, ſaltem tantùm efficiat, vt hic Orator ab iſto Rege chartam impetret, hos duos futuros liberos, vbi talem ſummam ac tantum pecuniæ dederint. Id ſi obtinemus, incipiam & veſtratis & noſtratis nomine mendicare.

BENE vale, Reuerendiſsime domine. Feſæ XXI. Auguſti, Anno XLI.

SALVE iterum, Reuerendiſsime domine. Viſum fuit mihi nimis longum expectare Feſæ, donec è Luſitania rediret Gulielmus; quòd poſſent multa interuenire, & ego nimiſquam cupiebã redire ad Chriſtianos. Itaq; die octaua Septembris veni Azilam, malè tractatus duabus leucis ab vrbe. Equus clitellarius me ſaltando præcipitauit, adeò vt brachium dextrũ fuerit in periculo. Hactenus manus ad ſcribendum non fuit libera, nunc vt poſſum duco calamũ. Sedeo hîc obuinctus faſciis chirurgicis. Inter collum & humerum os fractũ fuit, vt aiunt, alij tantùm dicunt refugiſſe carnem. Chirurgus me faſciis deſtinauit XL. diebus, donec omnia conſolidentur. Ego ſtatim vbi fuero ſatis audax, Deo permittente traiiciam Gades, nec magis credam Chirurgo,

rurgo,

turgo, quàm medicis reliquis: inde concedam Malacam, inde Garnatam. Si mihi manent ſalua mea præmia, empto aliquo tolerabili Magiſtro veniam ad Principem, & inde in patriam. Sin abiicior, diſpiciam quod vitæ inſtitutum ſequi debeam.

Ex captiuo quodam quem redemi debentur mihi C. ducati, eſtque ea pecunia apud Comitem de Linares. Mitto chartam ſubſcriptam meo nomine, ſi fortè me abſente poſsit ea recuperari pecunia. Facietis quitanciam, vt videbitur.

Si Princeps Henricus fuerit in mora, oro D. T. vt ad me mittenda cures Garnatam L X. millia: non enim licet redire, niſi plus habeam nummorum. Mitto etiam in hunc vſum papyrum mea manu notatam, inſcribes, vt placet, *Ego Nicolaus* &c. Bene vale, Reuerendiſsime domine, cum tota familia, & amicis omnibus: Orate Deum pro me. Azilæ X V I I I. Septembris.

Domine Epiſcope, facilè credo moram futuram in aula, quare D. T. oro, vt quamprimùm ad me mittendam cures pecuniam. A Principe accepturus ſum centum millia, etiam ſi abiicior, & præterea adhuc vltra trecentos ducatos oportet me recipere nomine redemptionis captiuorum. Garnatæ expectabo reſponſum. Puto proximo biennio non moriemur fame. Interim fortè aderit finis laborum, aut aliqua conditio melior.

REVERENDISS. DOMINO D. IOANNI PARVO EPISCOPO DIVI IACOBI IN PROMONTORIO VIRIDI, NICOLAVS CLENARDVS, S. P. D.

SALVE Reuerendiſsime domine. Epiſtolam miſiſti gratam, quòd legibilem præter ſolitum: moleſtam, quòd breuem etiam contra tuum morem. Si me amas ſcribe prolixè, ſiue permanſurus ſis in Luſitania, ſiue

iturus ad oues. Quanquam neſcio quî debeã intelligere verba quæ adieciſti ad calcem epiſtolæ. ſic ſcribis: *Cùm hîc adfueris, proficiſcar ad Epiſcopatum meum.* Non eſt damnandum ſi ego in epiſtolis meis ludam, aliquo enim remedio opus eſt ad abſtergendum moleſtias huius fermè triennij. Dominatio tua nec ea eſt ætate, vt velit iocari, nec Sophiſtam poſsis agere, qui ante multos annos fueris Antiſophiſta. Quid eſt ergo, *cùm hîc adfueris?* Si valet adhuc quod didici ex Hangeſt, ſenſus eſt me venturum in Luſitaniam, & D. T. ituram ad ſuum gregem, quæ eſt copulatiua, ex duabus Categoricis falſis, vt arbitror. Sin cõditionalem intelligi velis, & me putes iſthuc non venturum, non continuò dominatio tua debet omittere nauigationem. Tamen tantùm te amo, chariſsime domine, vt ſi mea præſentia te queat extrudere ad oues, libenter iſtuc excurrerem, & ea gratia ducentas leucas proficiſcerer. Sine me dicere quod fortè ſæpius dixi. Vtinam nunquam factus eſſes Epiſcopus, aut pergeres ad Epiſcopatum. Infecta fieri non poſſunt, quæ facta ſunt. Nemo tibi iſtic auctor erit vt nauiges. Quid reſtat? niſi vt renuncies Epiſcopatui, & ſinas alios mori cum ea ſarcina. Reuerendiſsime domine, vtere ſapientia tua iſta ætate: & ignoſce quòd iſta nimio ſcribam amore.

De ſexaginta millibus habeo tibi gratiam; in præſentia nummis careo, nec poſſum ſatisfacere. Aliquid mihi debet Vaſæus, oro vt ſis contentus, donec ei commodum ſit ſoluere. Reliquum curabo reddi quando fuero ditior. Eſt apud Vaſæum mea parua ſupellex, ſi inde quippiam vel è libris vel veſtibus fuerit, quòd emptorem inueniat, facio Dominationi tuæ poteſtatem vendendi vt velis, in præſentia nõ poſſum amplius: niſi lacrymari quòd ſic me tractauit Luſitania.

Ego poſt paucos dies, Deo propitio, reuertar in Africam, pauco munitus viatico, niſi benignitas D. Marchionis adfuerit. Familiam omnem ablego. Gulielmum iam dimiſi, qui iſtuc cum meis venit literis, vt

alius

alius quiuis conductitius, non vt Clenardi miniſter. Gonſaluum vel remittam in Luſitaniam, ſi velit, aut diſpiciam ei Garnatæ locum vbi viuat, & alium habeat dominum. Nigrinum vendam, vt aliquanto plus habeam viatici. In profectione me geram aliorum hominum more, qui ipſi ſibi ſunt miniſtri, aut fruſto panis, vt commodum fuerit, occurrentium vtar opera.

PRAECEPTOR ſum filij Imperatoris, ſic vt meus Nigrinus multis diebus à me ſalutatus eſt Archiepiſcopus Toletanus. Itaq; vt ipſe non interrumpit ſomnum ob reditus Toletanos, ſic nec ego impedior illo titulo, quin abeam in Africam. Iam video Reuerendiſsime domine, me nõ omnino ſine fructu fuiſſe Ludimagiſtrum Braccaræ. Tot illic creaui Epiſcopos & Cardinales, æquum erat, vt ego quoq; iocularius fierem Cardinalis, & Magiſter Principis Hiſpaniæ.

VALEDICO omnibus amicis Luſitanis. Statim vt fuero Feſæ, reddam te de rebus meis certiorem. Ora pro me. Bene vale Reuerendiſsime domine, cum vniuerſa familia. Garnatæ Calendis Septembris.

EPISTOLAM curabis reddendam Principi.

IAM ſemel atque iterum me dehortaris à bello Antimachometico, ſcilicet quòd nec rationibus nec miraculis moueantur. Quòd ſi bonum in Luſitania creditur argumentum, ceſſare debebant omnes Apoſtoli in Iudæa, cur enim conuertere conabantur, quos Chriſtus ipſe nec ratione nec miraculo commouit? Reuerende domine, ſæpe peccamus, ſæpe monemur, & aliquando vix tandem plerumque reſipiſcimus. Et tamen ego illuc diſputaturus non iueram, ſed clam rimaturus eorum myſteria, vt re communicata cum doctis Theologis, illuc redirem de Religione cum eis communicaturus. Nunc an tertiò recurram neſcio. Stat enim ſententia, omnia pati, vt ſciam quibus ſtet illa ſuperſtitio. Scripſeram nuper me bonos viros pulſaturum, vt me iuuarent, ac te futurum inter primos. Iam venio atque oro, vt me precibus tuis Deo cõmendes: idemq; apud

amicos efficias, qui nos amant. Nunquam minus de pecunia fui ſolicitus, quàm in præſentia; forſitan in cauſa eſt quòd paucas habeam. Nec me caſus iſte Luſitanicus ſic mordet, niſi quòd excluſit à patria, quò licuiſſet ante hoc exortum bellũ proficiſci, niſi vana ſpe fuiſſem deceptus. Saluto D. Doctorem Ruy Lopez. Quando ſcripſeris ad Don Martinum, ſalutabis eum meo nomine. Iterum vale.

CAROLO CAESARI SEMPER AVGVSTO, NICOLAVS CLENARDVS GLORIOSOS DE POPVLO MACHOMETICO PRECATVR TRIVMPHOS.

SOLENNE eſt omnibus, feliciſsime Cæſar, quotquot literis Maieſtatem tuam appellant, multis verbis decurrere in laudum tuarum præconia, adeoque impudenter interdum atroces quaſdam virtutes tibi affingere, vt ipſe nõ dubitem, quin ſcriptoris ſtultitiam condemnes & rideas. Quod quidem inſtitutum quando veterẽ gentilitatem ſapit, & neutiquam apud Chriſtianum Principem locum habere debet, qui nõ in hominum opinionibus & perituris chartis immortalitatem repoſitam arbitratur, ſed eam ſpectat immortalitatem, cuius fundamenta ſunt penes bene actæ vitæ conſcientiam, penitus ab iſto vulgato officio calamum cohibebo, & quæ poſtulata me edere coëgit neceſsitas, omnibus ambitionum remotis ambagibus, ſimplici oratione proferam, ante omnia ſuppliciter te rogans, vt me patienter pro tua natiua bonitate audias, & audaciam clementer ignoſcas.

CVM ante decem annos Louanij tractarem ſtudia Theologica, & nactus otij copiam, Græcas Hebræasq; deguſtaſſem literas, ſic vt eas publicè profiterer, inceſſit cupido diſcendæ etiam linguæ Arabicæ, quod in Iudæorum commentariis animaduertiſſem ipſam affinem

eſſe

esse Hebraicæ, & alteram alterius iuuari præsidio. Verùm in vniuersa Flandria ne literam quidem vllus nouerat Arabicam, nedum Arabicaturientem posſit docere: tantùm circumferebatur Psalteriũ illud Nebiense, quinq; descriptum idiomatibus, Latino, Græco, Hebraico, Chaldaico, & Arabico. Quod simulatque primùm conspexi, impotenti correptus rei desiderio, tametsi nihil adesset, quod saltem alphabetum commonstraret, euoluere tamen cœpi, & curiositate stimulante, rationem mihi reperisse credebar, qua peregrinæ linguæ characteres assequerer. Quãdo enim non ignorarem propria ista vocabula, hominũ, regionum, montium, fluuiorum, & consimilium, eisdem ferme syllabis & sono efferri apud Hebræos & Chaldæos, idem obtinere suspicabar in Arabicis. Nec me fefellit ista suspicio, inprimis eo perpendendo Psalmo, cuius est initiũ; Deus quis similis erit tibi? Ibi enim plurimæ comparét velut fodinę auri Arabici, hoc est dictiones, è quibus liceret rimari Alphabetum, verbi gratia: Israël, Idumæi, Ismaëlitæ, Moab, Agareni, Gebal, Ammon, Amalec, Assur, Lot, Madian, Sisare, Iabin, Cisson, Cudor, Oreb, Zeb, Zebee, Salmana: è quibus vniuersis de literarum figuris leue iudicium feci, & tam difficili vsus magistro, volui pergere ad capessendam adeò horridam & asperam linguam. Non quòd mihi inter Flandros datum fuit istis adminiculis fretum sonare Arabica, sed quòd vel tantillo fretus auxilio, codicem illum oculis legere conarer, haud aliter quàm si mutus animum adiiciat percipiendis scripturis. Neq; enim in eo Psalterio sunt addita signa vocalium, vt scirem quid quo pacto pronũciaretur: tamen bona quadã fortuna sic mihi cognitis characteribus, nauare operam non pigebat in euoluendo codice toto, ratus scilicet futurum, vt aliquando etiam Deus occasionem præberet Arabicandi commodiùs. Dum sic perduro, & Lexicon rude contraho, hinc inde arreptis voculis, quæ sępius obuiæ mihi iam essent familiares, Louanium venit Fernandus Colon quæsi-

turus hominem, cuius cõſilio moderaretur Bibliothecam illam quam adornabat Hiſpali. Enarrabam tum publicè Chryſoſtomum, de dignitate ſacerdotali, in gratiam Græciſſantium, eratque mihi auditorium frequentiſsimum. De quo certior factus Colon, & ſimul ab Hiſpanis aliquot res meas ac ſtudia propius edoctus, conditionem propoſuit profectionis Hiſpanicæ. Quam non illibenter accepi, tum quòd ob moleſtias quaſdam, quas mihi faceſſebant iſti Cauſifici, iam ad fugam eſſem propenſior, vitam cuperem tranquillam, vbi nihil mihi eſſet commercij cum illis controuerſiarum fabris, & litium magiſtris; tum etiam quòd inter Hiſpanos augurarer poſſe me feliciter Arabicari. Ne multa, Statim ingreſſus Salmanticam, libros aliquot reperi, apicibus omnibus eleganter conſcriptos, quibus diligenter pertractandis, iam etiam vocales Arabicas adeptus fui, ac ſenſim canones olfacere cœpi Grammaticos: vidique maximam eſſe Arabicis cognationem cum Hebraicis. quæ quòd ſatis exactè tenerem, ſi minutias requiras Grammaticæ, & quòd omnem laborem deuorare ſtatuiſſem, ſine vllius Præceptoris opera, me tradidi rimandæ Grammaticæ. Et quia certis de cauſis permittente Colone, ſubſtiti in ea Academia, detruſus in piſtrinum Arabicũ, ſpacio ſex menſium ſic promoui, vt non formidaſſem profiteri linguam Arabicam. Ac parum abfuit quin docturus proditem in publicum, quòd me munus illud ſuſtinere poſſe crederem. Interim adlaborante Epiſcopo Cordubenſi, liberatus fui à pactis Colonicis: & iam firmior & diuturnior videbatur ibi mihi futura ſedes. Cumque eſſem nimium defatigatus Arabicando, amœniore auocamento vires reficere cùm decreuiſſem, in iuuentutis gratiam literas docui Græcas, tanto auditorio quantum hactenus non eſt viſum in Hiſpania. Nec multò pòſt honeſtum illic mihi Senatus in annos ſingulos conſtituit ſtipendium, partim vt Latinas, partim vt Græcas docerem literas. Ecce autẽ cùm vix duodecimus mihi ageretur in noua pro-

feſsione

feſsione dies, adferũtur epiſtolę regis Luſitanię, illiuſq; fratris infantis Henrici, ad quem inſtituendum inuitabar. Cum quo verſatus annos quinq;, & dormientibus altum Arabicis, quòd alias diſciplinas tractarem, cùm nuper facta mihi ab eo poteſtate rediturus eſſem in patriam, & ibidem ſedem ſenectutis poſiturus, conſilium cœpi, vt menſibus aliquot peragratis vrbibus Hiſpanicis, diligenter diſpicerē; ſicubi reperire poſſem hominem, qui cum fabularer de literis Arabicis. Nam hactenus viuam vocē non audiueram, & dubiola quædam me torquebant de illorũ accentibus, & omnino ſtabat ſententia cum ſtudio Theologico, Louanij profeſsionē auſpicari Arabicam; quòd eam mirificè conferre cenſerem rectiùs intelligendis Hebraicis. Itaque profectus Braccara, veni Conimbricam, inde Hiſpalim, inde Granatam. Vbi cùm eſſem nulli prorſus cognitus, Deo tamen propicio res meas moderante, in Alhambram deueni, iuſſus à quodam ſalutare Marchionem, qui ſtatim cauſa profectionis audita, vt eſt vir humaniſsimus, & ſtudioſorũ hominum fautor, me etſi antea ne nomine quidem notum ſic adiuuit, vt doctiſsimũ multis aureis emptum Alfakium donaret. Cuius conſuetudine dum vtor, & lectitando ſimul cum ipſo Alcorano, paulatim animaduerto, quàm fœdis erroribus gens iſta periret Machometica, tetigit animũ meum clades noſtræ Religionis, multũq; dolui, quòd tot ſeculis nemo inter Chriſtianos ſit exortus, qui tanto malo conaretur adhibere remediũ. Sane non defuerunt, qui dogma peſtiferum editis libris confutarent. Sed quid quæſo ad Perſas, & tam lõgè à nobis diſsitas regiones, ſi Chriſtianus Theologus Latino ſermone diſputet contra Machometum? Sic in hoſtes fidei ſtringendus eſt gladius, vt mucronē ſentiant. Itaq; ſiue Deus mihi in mentem miſit, ſiue temerè hoc propoſitũ concepi, omnibus aliis curis omiſſis, ſtatui quicquid vitæ mihi reliquum fuerit, huic vni conſecrare negotio, nec conquieſcere, donec tantùm promouero in lingua illa doctorũ hominũ, vt & cala-

mo & lingua poſsim cum Machometiſtis in arenam dogmatũ deſcendere,&,ſi liceat, multos tam piæ cauſæ ſocios conciliem, qui iſtum mecum laborem velint capeſſere,hac mente, vt etiam in Africam ipſam diſputaturi & morituri non reformident proficiſci.

CAETERVM quia ad hanc rem nobis opus eſſet libris, in quibus myſteria ſectæ continẽtur, & paſsim ab Inquiſitoribus multi cremantur, qui nobis plurimum conducerent,omnem lapidem moui,vt huiuſmodi codices mihi ſeruirent, quia illis in fidei augmentum vti vellem,potiùs,quàm vt ſinerentur perire flammis. Verùm nihil obtinere potui: nec hactenus habui, qui meos conatus foueret, præter vnũ Marchionem, adeò rei ſtudioſum, vt etiam omnes triremes Hiſpanicæ meis conſiliis libros conquirant.

DE hoc meo propoſito certiorẽ feceram Ioannem Siliceum filij tui præceptorẽ, qui cùm me optimè noſſet,& multa poſſet apud tuam Maieſtatẽ, viſus eſt mihi plurimũ habiturus momentũ. Sed quàmuis me ſedulò ſit adhortatus,ne tam pium animum deponerem, nihil tamen ſpei oſtendit,niſi vellem relicta patria,rem iſtam inſtituere Garnatæ. Id quod ſi facerẽ, omnia mihi adfutura dixit,& cum proceribus Hiſpaniȩ Cȩſarẽ ipſum fautorem egregiũ futurũ. Ego verò tenebar deſiderio patriæ, & nuſquam videbam me cõmodiùs hanc profeſsionem inuecturum, quàm Louanij,vbi animus erat cum prȩceptore illo Alphakio iſtas literas docere & diſcere. Id quod ſine librorum copia fieri non poterat.

ITAQVE hac gratia profectus ſum in Mauritaniã, vt partim comparandis libris, partim inſpiciendis populi moribus & inſtitutis, idoneus magis redderer ad hoc bellũ Antimachometicum: deſedique Feſæ menſes quindecim,nullo fermè fructu, adeò nobis illi ſuos inuident codices. Pacta quædam inieram cum ipſo Rege,futuram mihi poteſtatem auehendorũ librorum,& me in literis inſtituendũ, modò ſinerem aduenire illuc è Garnata præceptorem, eaſq; conditiones adieceram,

vt

vt feliciter ceſſura mihi fuerit ea peregrinatio, niſi in monſtrum quoddam incidiſſem, & apud Barbaros perfidiam debuiſſem experiri hominis Chriſtiani, qui illic tanquam malus Genius ſtudiorum mihi exortus fuit.

HIC apud Regem effecit, ne me docerent, ne libros conſequerer, vt præceptorem amitterem, & tot menſibus inter Machometiſtas in ſummis moleſtiis contabeſcerem. De qua fraude inaudita domi teſtimonium habeo Sacerdotis cuiuſdam Arragonenſis, qui ſeruit illic apud Regem.

ITAQVE hac profectione, quam pietatis cauſa ſuſceperam, præter ſeſquiannum ſine fructu ſtudiorum exactum, id modò ſum conſecutus, vt & Præceptorem doctũ amiſerim, & ſperatis codicibus caream, & quod grauiſsimũ eſt cum tali monſtro ſim luctatus in Africa, vt miraculi inſtar ſit, me excruciatũ doloribus non periiſſe inter Machometiſtas. Magnus etiam dolori cumulus acceſsit, quòd didicerim à Chriſtianis, Tunetenſes libros vẽditos eſſe in Mauritania, quin & ex Arragonia illuc aduehi, & me interim ſic angi conquirendis codicibus. Vix tandem paucos ante dies poſt tantas miſerias reuerſus Garnatam, ſedeo quotidie expectans, ſi quid fortè nos Epiſcopus iuuare velit Carthaginienſis, hoc animo, vt potiùs patriam poſthac negligam, quàm ſuſceptam prouinciam deſeram.

SI Maieſtas tua propoſitũ meũ dignũ fauore ducat, oro vt libri qui per Hiſpaniã comburũtur, meis ſtudiis poſthac ſeruiãt. Quãuis enim hæc mea de iuuanda Religione ſentẽtia pleriſq; videatur noua, nõ eſt tamẽ eius generis, à quo Cæſar qui cõtinenter bellũ gerat cũ Machometo, vlla ratione debeat abhorrere. Hæc ſunt quæ Maieſtati tuæ ſcribẽda duxi, partim ꝙ in aula Regis Feſenſis, intrepidè promiſi me apud Cæſarem de iniuriis conqueſturũ, partim ꝙ tam piam cauſam Ceſar ſine vllo incõmodo poſsit adiuuare. Bene vale feliciſsime Cęſar, et vide num iniuſta petã, tanto amore ſtudiorũ è Louanio delatus in Mauritaniã. Garnatæ XVII. Ian. An. XLII.

EPISTOLA NIC. CLENARDI AD CHRISTIANOS, DE PROFESSIONE ARABICA, MILITIAQVE CONSTITVENDA ADVERSVS MACHOMETVM.

NICOLAVS CLENARDVS CHRISTIANIS OMNIBVS, S. P. D.

QVANDO ſum in præſentia de iis rebus verba facturus, quæ ad publicum noſtræ religionis bonũ mihi pertinere videntur, nemo (vt ſpero) vitio vertet, ſi priuatus & paruę ſortis ego, nactus occaſionem communis iuuandæ ſalutis, communi omniũ iudicio, ſententiam propoſitumq; meum cenſendum efferam. Vt enim in ſuis quiſq; domeſticisq; negociis ceſſator accuſandus eſt, ita nõ poteſt carere culpa, quiſquis laboranti patriæ pro ſua parte ſubuenire negligit: propterea quòd Reſpublicæ, quibus omnia ciues debent, ſola hac via labefactari conſueuerũt, & tandem peſſum ire penitus, quòd omnes libenter priuatis indulgemus commoditatibus, communibus & publicis deſumus. Quòd ſi vt noſtris, ita & alienis commoueremur (quanquam quæſo quid homini debet eſſe alienum, qui ſine mutuis beneficiis in hoc orbe nequit conſiſtere?) ſi inquam ſic & alteri ſtuderemus, quemadmodum blanditur cæcus ille amor ſui, qui Græcis dicitur φιλαυτία, profectò nec inteſtinis diſcordiis turbaremur domi, nec hoſtium inſultus pateremur foris. Sed vt contra ſeditiones domeſticas, ſic & aduerſum tumultus externos, beata pace, & læta tranquillitate tuti ſtaremus. Ne verò ſtatim in limine imprudens ruam, videarq; ineptus graui quopiam & turgido incedere proëmio, cùm tamen hactenus Rhetoricis lenociniis non fuerim deditus, ſcaphas ruſticus nominabo ſcaphas, & citra omnem inſinuationem, vobis vniuerſis commendare conabor literas Arabicas, vt earum præſidio Legiones adiuuemus Cæ-

ſaris,

ſaris, & coniunctis copiis tandem profligemus dirum iſtum orbis incubatorem Machometum. Huc omnis ſpectat oratio, hæc Sparta mihi modis omnibus exornanda eſt, & vt ſpero etiam exoranda. Atq; vt ab initio repetam, quibus prouectus auſpiciis, iam totus ſim in hac meditanda militia, planè ſuperuacaneum ducerem, niſi inter narrandum confiderem, pleriſq; augendos animos, & addendos ad virtutē ſtimulos: audituri enim eſtis quæ fidem vincere videntur, deinde nō alienum ab humanitate putaui, longum etiam in amicorū gratiam ſermonem terere, quos nouem iam fermè annos, non omnes quotidianis epiſtolis inuiſere potui. Cùm præſertim nihil ſuſceptæ prouinciæ ſit obfutura hæc narratio prolixior. Cum ſtudio Theologico, præter Græcas Hebræasque literas, leuiter etiam deguſtaui Chaldaica, ſic vt ſi eam curam capeſſere libuiſſet, facilè iuſtam nactus fuiſſem peritiam, propter linguarū inter ſe affinitatem: qui enim vtramuis rectè norit, minimo momento iam ambas nouerit. At non me inſigniter titillabant Chaldaica: credo quòd in alio quopiam piſtrino vires ſuas debebat explorare curioſitas, quam niſi mortalibus natura dediſſet, bona parte mutilas haberemus præclaras artes, & mancas etiam liberales diſciplinas. Mihi certè feliciter ceſsit, quòd in rimandis ignotis literis fuerim curioſus.

AC videte quæſo, cur captus ſim amore barbaræ linguæ. Lectitandis Iudæorū cōmentariis, ſubinde me cruciabat, quòd hanc vel illam voculam id ſonare dicerent Arabicè. Præcipuè verò me ſtimulabat Aben Ezra, quoties occineret illud PHE-RAPHA in lingua Iſmaëlitica, quod illi ſcriptori tam eſt peculiare, vt nodos innumeros ſibi videatur hoc confugio diſſoluere. Quid, inquam apud me, Nunquámne ſciam, quidnam ſit PHE RAPHA? Rogatus à me Ioannes Campenſis, piæ memoriæ (nam iam obiiſſe mortē intellexi) dum per Germaniam pararet reditum in patriam: cuiuſmodi caſus ſi me quoq; manet in Africa, qui impotenti teneor deſi-

derio

derio redeundi ad meos, defunctũ precibus Deo commendabitis: Sed vt ad inſtitutũ redeat oratio, Campenſis Profeſſor tum Louanij Hebraicus, idem, inquit, eſt PHE RAPHA, quod aduerbium TVNC. Non id meo ſatisfaciebat ſtomacho, ſemperque imminebam cuiuis occaſioni, vt aliquid conſequerer ſcriptum characteribus Arabicis, quos hactenus non videram. Fortè per id temporis Venetias profecturus erat amiciſsimus mihi Daniel Bombergus, vir ſic de literis Hebraicis meritus, vt nomen ſuum omnium ſeculorũ memoriæ conſecrauerit ſempiternæ. Cũq; pro ſua humanitate qua præditus eſt inſigniter, ad me veniſſet Louanium, vt ante abitum valediceret, memor vlceris mei, vnde fermè manũ non tollerem, rogabam numquis eſſet Venetiis peritus Arabicè: reſpondit ille, Medicos quoſdam inter Iudęos verſari, qui lectitarent Auicennã natiua lingua: ibi protinus ſubſiliebam gaudio, ſerioq; triumphabam, quaſi iam linguæ partem tenerem, quòd in orbe noſtro non deeſſent illius periti. nam illam velut apud Antipodas ſedem habere putabam, tam mihi alienum videbatur hoc barbaricũ idioma. Ne multa verba, promiſit Bombergus ſe paginas aliquot è Venetiis miſſurum Arabicas: quòd meo iudicio perinde cenſebatur, ac ſi continuò futurus eſſem Grammaticus, conſpectis modò literis. Agebam Louanij in collegio Scholaſtici, in quo præter nos prouentibus annuis alitos, cõuictores etiam quatuor licebat admittere. Hos inter adoleſcens candidatus & ipſe linguarum, nactus Pſalterium illud Nebienſe, gratulabundus ad me venit, neq; enim morbum meum ignorabat, qui pluris ducerem eas noſſe literas, quàm opimo donari ſacerdotio: Iam beatus eram, iam præter Arabiſmũ frigebant omnia. Quomodo, inquiet aliquis? Nam in eo codice, quemadmodũ pleriq; noſtis, Pſalmi quidem ſunt excuſi typis Arabicis: verùm quid inde cõmodi percipiat is, qui ne vnum quidẽ cognoſcat apicem? neq; enim vel Alphabetũ adeſt, vel quippiam præterea, quod omnino rudem admoneat, & eram in

vniuersum ἀναλφάβητος. Nec curiositas vocari debebat, sed planè dementia, velle in eo libro tẽpus terere, cuius nullam nosses literam, haud secùs ac si legendũ offeras Demosthenem aurigæ Diestensi, cui nomen est Arnoldo filio. Quòd si vel eum saltem librũ in præsentia consuluissem, qui ante annos aliquot excusus est Garnatæ, vbi & nomina & figuræ characterũ declarãtur, aliquid mutus magister opis attulisset, commonstrandis literarum notis. Nunc verò nec quispiam Louanij viua me voce poterat elementa docere, nec vllus extabat libellus rudimentarius. Sed antequam pergam, obiter hìc admonitos velim quotquot Arabicari decreuerint, ne, quem dico librũ, eo numero ponant, quasi faciat ad tradendam linguã Arabicam: iis modò conducit, qui vernaculũ gentis sermonẽ expetũt, à quo tam dissidet Arabismus, quo sapientũ & eruditorum monumenta sunt prodita, quantũ interest discriminis inter dictionẽ Homeri, & istorũ Mercatorũ, qui hodie negociãtur in Græcia. Cæterùm ego ἀραβικομανὴς, si vel istum ad manum habuissem codicẽ, prima laboris parte leuatus fuissem. quem vt exantlauerim, & quo ingenio sim vsus, sic accipitote, & exemplũ in me statuite, quid sit reuera Gręcis αὐτοδίδακτος, hoc est pessimo vti præceptore, nempe seipso.

Vbi intenderis ingeniũ, valet, si bene memini Salustij. En tibi Clenarde vniuersum Dauidicũ Psalterium, ne necesse sit expectare pagellas è Venetiis, & promissa Bombergi. Eia lege. Non possum. Lege inquam. Qui istuc quæso? nullam literam ante hunc diem conspexi, similisq; videri poterã Machometo, de quo hæc narratur verissima fabula, hoc est, euidentissimũ mendaciũ: venisse ad eum Gabrielem Angelum, & aperto Alcorano, quem secum è cęlo detulerat, iussisse vt legeret. Nescio, inquit Machometus, literas: moxq; correpto Angelus hominis gutture, lege, inquit: adeò vt fermè vrgente Gabriele, bonus Machometus perierit præfocatus: atque huiusmodi multa comminiscuntur illi, quo

doceant

doceant Machometũ idiotam quempiam fuiſſe, omnis expertem humanæ literaturæ, vt ſcilicet putetur nõ ipſe conſcripſiſſe Alcoranum, ſed accepiſſe cælitus. adeò vt ſi quis legendi peritiam illi tribuat, capitali plectendus ſit ſupplicio.

SED venia danda eſt Machometo, quòd eo ſim ingeniosior comminiſcendo rationes legendi Arabica. necdum enim viderat Pſalterium Nebienſe, cuius præſidio mihi ad huius linguæ ſtudiũ patefacta eſt feneſtra. idq; ad hũc modũ. Nõ me latebat propria nomina virorũ ac fœminarũ, itemq; montium, fluuiorũ, regionũ, vrbium & conſimiliũ, iiſdem apud Hebræos Chaldæosq; ſcribi literis, & totidem vtroſq; conſentire ſyllabis. quamuis enim ſeptuaginta Interpretes, vt ait rectè Ioſephus, horridum ſonum linguæ Hebraicæ cõmutauerunt, trãsferendis vocibus, ſpectãtes quid pateretur blandior Græcia; in tranſlatione tamen Chaldaica, & Onkelos & Ionathã id ſecuti ſunt, quod cõparet in verſione Pagnini: & quemadmodũ Hebręus ait Selemo, Moſe; ſic & Chaldaicè ſcribant Selome, Moſe, nõ vt Græci Solomõ, Moſes: nec etiam figuras iſtas agnoſcunt, quas gentes variæ ſolent vario quoq; pacto vſurpare. Et vt de Flandria loquar, aut Brabãtia, in huiuſmodi peculiariter affectant Aphæreſin, ἀκέφαλον reddentes Ioannem, Iacobũ, Bartholomæũ, cum pleriſq; aliis, qui decollati non fuerunt dicentes Hennen/Coppẽ/Meeus. Zelandi verò, niſi fallor, pro Catharina largiti ſunt nobis Callcken. Quę nominũ metamorphoſis, nec eſt in tranſlatione Chaldaica, & in mentẽ veniebat, ne in Arabicis quidẽ atrocem eſſe, quod ſuſpicarer etiam huius gẽtis ſcripturam non admodũ abhorrere ab Hebraicis, & a dextra tendere in ſiniſtram, id quod ne ipſum quidem noueram, tam eram rudis, etſi mirè curioſus. Itaque cùm ſoleat diſcipulus à confeſsis ordiri, quæ extra omnem aleam eſſent poſita, non ego initium feci à verè ſolidis pronũciatis, ſed ſuſpicione Duce, rimari cœpi characteres Arabicos.

AC protinus Pſalmus iſte ſeſe offerebat, qui ſic incipit: Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas neq; compeſcaris Deus, propterea quòd in eo ingens eſt aceruus meorum præſidiorum; Iſraël, Idumæi, Iſmaëlitæ, Moab, Agareni, & cæteri item populi, nunc obnoxij Machometo, credo vt mihi opem ferrent, ad comparandam linguam Arabicam, qua aduerſus ipſos aliquando vſurus eſſem, & ſuo ipſos ſibi iugularem gladio. Hic iam repertis fodinis ſtrenuè fobiebam, eruendo metallo felicis Arabiæ: nec profectò Deus tacuit, ſed commiſsis inter ſeſe nominibus & perpenſo verborum numero, quæ in columnis ex aduerſo ponebantur, colligere nitebar, quid Arabicè cui reſponderet Latino. Inter hæc ſudanti, Iſmaëlitæ contra quos iam bellum ſpiro ſempiternum, præſentaneum mihi tulerunt remedium, bona quadam fortuna conſpecti in calce quinti verſus, qui ſic habet: Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſus Teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ.

SIC foſſor ligone diſputabam. Iſmaëlitæ in hac columna Latina verſum claudunt, nimirum & in ſua columna locum ſortientur vltimum: iam theſaurum verſabam, conſpecta vocula multis copioſa ſyllabis: ac neſcio an audito ligonis ſtrepitu, dum in Iſmaëlitas impingerem, continuò vicinus accurrit Lot, credo vt vel gratularetur, vel partem theſauri auferret: nam huiuſmodi fortuna communis eſſe ſolet, quotquot nô procul ſint ab inuentore. & quamuis Moab, Gebal, Ammon, Amalec, Tyrus, & Aſſur propius aſtarent, tamen ſic facti ſunt in adiutorium filiis Lot, vt hic liquidiùs clamorem theſauri perciperet, ob id ſuſpicor quòd auriculam haberet rotundiorem, & magis patentem audiendis ſtridoribus, niſi illud in cauſa fuit, quod recèns profectus è Sodomis, & velut nudus ereptus ex incendio, cupidior eſſet bonæ fortunæ, cæteris ſic occupatis, ſuo quoque bono, vt tardiùs aduenirent.

vtcum-

vtcumque sit, simulatque mihi ad Ismaëlitas accesit, duas commonstrauit literas, L & T. nam & Lot, & litæ in calce Ismaëlitæ eas literas eisdem figuris gerebant. Tyrus etiam modestè capite innuens, nescio an partim gratularetur, an potiùs partem prædæ sibi vendicaret. certè thesaurum repertum esse, iam passim fermè omnes vicini vna voce prædicabant, ac periculum erat, ne concurrentibus vndique raptoribus, Ismaëlitæ discerperentur. Ante omnes Moab inuasit pectus Ismaëliticum, Gebal corripuit tibias. Ammon vtraque manu rem gerebat contra Moab, se potiorem esse dictitans. Amalec verò cùm ex animo cuperet opem ferre Moabitis contra impetum Ammonis & communem portionem communiter partiri, spectans, vt fit, priuatum commodum, decertabat etiam cum Gebal, deos hominesque testatus, se præferendum esse vtrique, quòd & pectus agnosceret & tibias. Tyrus, vt dixi, leuiter studebat filiis Lot, in ancipiti situs, inuideret an gratularetur. At verò Assur, Sisare & Cisson atrocissimè pariter imminebant Ismaëlitarum collo. Postremò cùm iam increbuisset rumor inuenti thesauri, famam quaqua nersum sparsurus, & auctoritate nominis confirmaturus, vir summæ fidei & maximæ dignitatis aduenit Salmana: qui cùm non interfuisset tumultui, quòd procul habitaret, meritissimo tamen & iure vniuersos antecellebat, pectus, tibias, & collum solus arripiens: nec enim erat, cui tribus nominibus deberent Ismaëlitæ. Celebremus licet Epinicia, nam Bactra deuicimus, & tres inuenimus characteres Arabicos, S. M. L. in magnifico Salmana, duos in Lot, L. T. in reliquis singulas, in ipso thesauro quatuor, S. M. L. T.

PRAECIPVA ergo mihi cura fuit obseruare, qui versus aut in capite aut in calce meas offerrent fodinas. & vt quæque darentur, ligonem exercebam. Principiò Latinis opponebam Arabica, quemadmodum commonstraui in Ismaëlitis. Mox Arabica ipsa inter

sese

ſeſe committebam, vt ſalutatione mutua Lot cum Iſmaëlitis vnam atque alteram literam conſpirantes aſſeuerarent: ad eundem modum copulabam & cæteras fodinas: Iſrael, Agareni, Tyrus; Aſſur, Siſare, & Oreb; quid niſi mihi ingerent literam R? Moab & Gebal reddebant B. quibus opitulabantur Iabin, Oreb, Zeb, & Zebee. Et quamuis titulus in multis Pſalmis teſtaretur D. quoties occurreret Pſalmus Dauid, tamen & hoc loco Idumæi, Madian, & Cudor facilè doceant.

HIS ego ſitientiſsimus linguæ Arabicæ laboribus, & hac rimandi diligentia, totum conſecutns ſum Alphabetum, primò penſiculandis nominibus propriis, mox etiam adiutus & altero ſubſidio, quod præter characterum notitiam, aditum patefecit concipiendis animo, & velut ſomniandis canonibus Grammaticis. Siquidem poſtquam aliquot iam literas certò cognoſcerem, non rarò mihi inter fodiendum dictiunculæ quædam occurrebant, & aliæ quæ idem ſignificarent Hebraicè. manus, pes, caput, lingua, venter, anima, ſeruus, & huiuſmodi quamplurima reperiebam totidem & iiſdem conſtare literis in vtraque lingua. Et continuò apud me, eſt igitur inquam Arabicum idioma tam affine Hebraico, vt & Chaldæum. quare & hoc mihi plurimum contulit, vel ad ipſas aſſequendas literarum figuras. Proferam exemplum quod quiuis intelligat, tametſi non nouerit Hebraicè. Anima tribus literis conſonantibus indicatur, N F S, eſto iam adiuuantibus primis illis curioſitatis meæ documentis, probè teneam duas primores literas, N & F, necdum tamen figuram nactus fuerim literæ S. ſuſpenſus manebo, donec ignotum S. compareat voce quapiam alia. Linguam Hebræi notant literis L S N. ne id quidem ſat fuerit. Pax ſermone Iudaico eſt S L M. Quid hinc colligere datur? Iam è rebus compertiſsimis didici linguarum iſtarum affinitatem. Quid tum poſtea? in tribus his vocibus anima N F S, lingua, L S N, &

pax S L M, literæ reliquæ cognitæ sunt præter vltimam in N F S, mediam in L S N, primam in S L M, ea in hebraico sermone est S: deinde multas & alias voces, planè easdem reperio in vtraque lingua, quocunque loco hæc figura comparet, si modò eam statuas esse literam S. Eia sit bonis auibus S. fortè alias proprium aliquod nomē diluet dubium, interim fretus coniectura probabili, perge velut in re cognita.

QVOD si sic vocibus inter sese conspirant hæ linguæ, in mentem venit fortè etiam præceptiunculis Grammaticis eas non dissidere: nam ligo meus obiter nonnihil olfecerat. Possessiua pronomina, meus, tuus, suus, noster, vester certis literis & syllabis exprimunt. quare vbi his vteretur Latinus, aut Hebræus, sedulus indagator literarum, offendebam & ista priusquam quærerem. Eia contemplemur porrò, quid faciant in variandis verborum personis, quid in commutandis coniugationibus? Ne multis morer, nihil aliud iam censebam esse Arabismum, quàm alterum quendam Hebraismum. & non solùm eas linguas innumeris vocabulis, sed arte etiam consentire Grammatica. Et quamuis Psalterium illud excusum erat sine vllis vocalium notulis, parum tamen tenorem mei studij poterat interpellare, vt qui iampridem versatus fuissem in Hebraicis. Neque enim lingua legebam, sed oculis & mente. Exemplum accipite, lingua dicitur Arabicè L I S E N, mihi verò non offerebatur nisi trias consonantium L S N, quomodo igitur sonabas? L A S O N. ob id quod sic scribitur Hebraicè, reliqua verò vocabula, quæ mihi non subministrabat peritia Hebraica, legebam, vt modò dixi, oculis tantùm & animo, vt quoties triadem nullis affectam vocalibus cernerem, quid significaret curæ esset, non quomodo sonaret.

CONSECVTVS sum Alphabetum, partim adiutus Latinis, partim Hebraicis, in his præsertim characteribus quos Latini non agnoscunt. quamuis ne

sic

ſic quidem exactiſsimè poteram omnia penitus diſtinguere, propter exiles quaſdam vocis minutias. nam vt Arabes literas etiam habent Hebræis tam forma quàm ſono penitus ignotas, ſic & eiuſdem literæ ſonum multis modis partiuntur, adeò vt quod nobis eſt d, quatuor ſectum ſit diſcriminibus. Sed me id minimè turbauit, qui artem haberem legendi tantum oculis. Cur enim percipiendis diſciplinis, quarum ſedes eſt ratio, magis proderit lingua & aures, quàm oculi? nónne taciti inter ſtudendum, conſpecto codice, reponimus quamplurima, & mandamus memoriæ, tametſi non vtamur officio linguæ? neque enim mutis abroganda eſt hæc diſcendi via, quemadmodum neque cæcis natura potuit inuidere res Mathematicas. Specimen dedit quidam Salmanticæ, qui cùm eſſet Pſaltes inſignis, & articulis doctiſsimè decurreret in monochordio, præter Græcas literas, quas feliciter didicit, triangulos etiam in manibus depingebat, & radium quem cæteri ducendis lineis immittunt pulueri, ſic animo contemplabatur, vt acumine vinceret bene oculatos. Ille ergo figuras literarũ Græcarum cæcus non nouerat, ego conſpectis characteribus, vocis eram ſecurus, & fortiter ſudabam in piſtrino Arabico.

TENEO inquam vtcunque characteres, comperi etiam rem Grammaticam fermè eandem eſſe, quæ traditur in Hebræis. Quid iam reſtat? Lege à capite ad calcem vſque Pſalterium, & para tibi inde aliquod Lexicon. Sic facio prorſus, niſi quòd conſultum videbatur, ab eo auſpicari Pſalmo, cuius eſt initium: Beati immaculati in via. complures enim illic ſunt voces crebrò repetitæ diſparibus caſibus, & numero vtroque. quod & ipſum partim me iuuit, dum iterata ſubinde vocabula iam redderentur indies magis mihi peculiaria, partim vehementer turbauit. Siquidem in formando nominum plurali numero, longè aliam deflexionem conſpexi, quàm quæ obtinet apud

Hebræos, nec exitum sperabam, quòd hactenus eam commutandi nominis normam nulla in lingua notassem. Ragul hominem significat. Rigel homines. haud secùs ac si malus efferatur singulari numero, miles plurali: tamen quia iam effractis foribus in ædes irruperam, credebam minus esse laboris; arculas reserare, & si maximè clausas, quàm dudum domum ipsam intrare: quare pergebam in meo Dictionario, lectitandis Psalmis Dauidicis, ratus futurum aliquando vt offerretur occasio, quæ scrupulos meos de plurali numero posset eximere, & simul respectans, si quid fortè nobis tandem allaturus esset Bombergus.

INTERIM ita res tulit, vt abirem inuisurus reuerendum D. Abbatem Lætiensem Ludouicum Blosium, qui cum mihi in nostro Collegio conflata erat necessitudo, homine Græcis Hebræisque literis sic instituto, vt quandoque ad me scripserit epistolas trilingues: Quæ peregrinatio, etsi non flagitaret nisi iter bidui, Theologo tamen Louaniensi satis erat ardua, mihi præsertim, quem omnes tam nouerant esse sedentarium, vt si semel modò foris pernoctarem, velut cælum rueret. Sed quia in fatis meis erat, vt olim longius à patria dulcique Louanio diuellerer, & sitientes veniremus Afros, sic meas componebam sarcinas, vt salutato Blosio, simul etiam inde eadem opera contenderem Cameracum ad charissimũ mihi præceptorem Iacobum Latomum, qui tum illic agebat Canonicus. quin & audacius quoque facinus animo voluebam, si ille non dissuaderet (omnia enim eius auctoritati meritò semper tribui) nempe, vt proficiscerer Lutetiam vsque, quod perinde fuit, quasi petiturus essem Indiam. Euenit, & sensim incepit Clenardus assuescere faciundis itineribus, contractumque domi veternum exsudare: tamque lætis auspiciis susceperam profectionem Lætiensem, vt è Lutetia reuersus Louanium, diuitis etiam nomen reportarem, quasi Græcum Hebræumque spoliassem auditorium, præsertim.

tim opinione noſtri Campenſis. Bonis, inquit, auibus veniſti Parriſium, nam te aiunt aſportaſſe coronatos inde ſupra quingentos. non, inquam, me pœnitet profectionis, & ſimul ridendo ſinebam me celebrari hac fama. quid enim lædit, ſi foris habearis vel Crœſus, modò domi non impediaris moleſtis diuitiis?

PRAETER cæteros Lutetiæ mihi cognitos, monachus etiam quidā Luſitanus, ex inſtituto Franciſcanorum, Rochus Almeida, mirè mihi deditus erat, adeoq; me docēte captus erat amore literarum Hebraicarum, vt hac ſola gratia paucis poſtea diebus ſe contulerit Louanium. & cùm fermè quotidie Hebraicaſter commearet ad noſtrum Collegium, crebrò etiam aliis de rebus mecum familiariter agebat, nunc commemoratis moribus Cantabriæ, nunc attollendis in cælum Cathedris Academiæ Salmanticenſis, ſiquidem & ipſe multum etiam viæ permenſus fuerat ſtudiorum cauſa, quæ omnia non ſic apud me licebat narrare per ocium in Gallia, quòd occupatior eſſem colligendis illis coronatis, & magis fabricandis rebus nouis implicarer, quàm audiendis. Poſtquam autem de Salmanticenſium Profeſſoribus fabulari cœpiſſet, & tam opimos prouentus doctis viris conſtitutos affirmaret, nullamque partem diſciplinarū, quæ non honorem ſuum ſortita eſſet Salmanticæ, quid inquam, coluntur illic etiam linguarum ſtudia? Linguarum, inquit. Eſt Profeſſor Græcus, eſt Hebræus, eſt Chaldæus, atque etiam Arabicus. quod poſtremum verbum altius in pectus meum deſcendit, quàm quiſquam tum credere potuiſſet, & tacitis apud me gaudiis, nunc inquam pedum viſa eſt via. Ocyus properemus in Hiſpaniam. nec aliud iam deinceps ſomniabam, quàm profectionem Hiſpanienſem. ſiquidem vtcumque redditus eram idoneus obeundis itineribus, & præter aurum Gallicum, verſatus illic inter homines tā diſpares natione, tamq; agentes ſuauiter procul à paternis laribus, animum etiam indueram patientem exilij. quin & grauis quoq;

mihi ipse auctor videbar, quique possem de peregrinationibus disputando meo iure ferre sententiam, quòd scilicet vidissem Lutetiam, hoc est, lustrassem vniuersum regnum Persarum: meminique sic inter congerrones peregrinandi metum deponere. Nemo est tam formidolosus, quin ausit à ciuibus suis abesse leucas quatuor. Ergo relicto Louanio simulatque venerim Bruxellas, quid vetat quominus velut Bruxellanus conficiam alias quatuor? neq; enim animosiores conuenit esse, qui sedem habent inter disciplinarum domicilia, quàm qui quotidie spectant hinc illinc clientes ad Patronos, Principes viros properantes ad aulam. E Bruxella igitur totidē numerabo millia in pagū aliquē, cuius incolas magna profectò afficeremus iniuria; si plus nobis censerentur ad iter expediti ciues, quàm pagani. Hinc verò pergam in locum proximum, & semper crescet vsu fiducia peregrinandi, propterea quòd hæc me ratio non vrbis, sed orbis ciuem reddiderit, sic huc illuc properantem, & variis iactatum itineribus, vt perpetuò pernoctem in patria.

VERVM non satis erat ademptum esse metum, non satis me sic ebrium ferri cupiditate huius linguæ, nisi & alius me pupugisset stimulus, quo videlicet non tam inhiarem Salmanticæ, quàm fugerem vel ipsam patriam, vt dum hanc odissem, illam amassem, celeriùs mea potirer Helena. Designatus eram Curatus templi Beginarum Diestensium, nec aliud votis omnibus expetebant parentes, nisi vt præsentem illic haberent filium; quod & ipse planè gerebam in animo; nec hactenus ea potuit placere sententia, vt lac lanamque ouium Christi possiderem, quas præsens voce vitaque non conarer pascere. quid alij prætexant, & quid comminiscantur, dum nimis ingeniosi fabricandis causis tam vastam aperiunt fenestram perdendis gregibus, nō ad meum tribunal pertinet: id modò credo, si omnes in hac mecum essent persuasione, & ad iustas etiam causas absentiæ nō conniuerent, multò melius actum iri

cum

cum Republica Christiana, quàm his moribus, eò iam prolapsa disciplina, vt fermè probro ducatur, si vir insigni quapiam eruditione vitam agat inter oues creditas. Sanè non desunt quos præstat in Academiis docendi munus obire, & multos formare pastores, quàm (vt ipsi dicerent) contemptos viuere, perferendis rusticorum vitiis. At contrà non desunt, qui prouentus istos Ecclesiarum ipsi pascendis gregibus queant percipere, ne necesse sit præclara in Academiis ingenia, præter onus docendi, hoc præterea subire molestiæ, vt controuersias agant cum iis qui mala fide persoluunt decimas. Nunquam rebus necessariis destitueremur, si suam quisque administraret prouinciam. Libenter, inquit aliquis, in ista inueheris, quòd lana tuarum Beginarum fueris frustratus: alioqui stetisses ab eorum partibus, quos nunc leuiter corripis. Quid futurum de me fuisset, diuinare non possum; magnum enim momentum obtinet pecunia coniúcta cum otio, & non reperissem inter Beginas Professorem Arabicum. quare vt crebrò nutant voluntates humanæ, fortè partitus lac cum Collectoribus desertor stationis, & oblitus ouium, auolassem Arabicatum in Hispania, culpam contracturus quam nullus deleuisset Syllogismus. At me seruauit sacerdotiorum genius, qui nostro seculo tam bene mereri videtur de Causificis, vt instar miraculi sit, sine litibus obtinere semunciam vnam patrimonij Christi. Quare vbi in me conspirassent Beginæ, & ouium suffragiis declaratus fuissem, & suffectus in locú demortui, protinus exortus est aduersarius, cepimusque strennuè litigare, & implicabili bello confligere. ac primú quòd tyro essem rudis earum artium, valde stupidus admirabar, quòd riualis velitando in Processu, me negauerit Clericum, natum legitimo matrimonio, esse omnino in rerum natura, & huiusmodi istis solennia, nata contrahendis controuersiis: & stultus expostulare volebam de mendacio, nisi me procurator docuisset istum esse videlicet

ſtylum, & contra illum nos quoque obiecturos eſſe conſimilia. nolo inquam mentiri, quid attinet in iis contercre tempus? rem ipſam putemus, meæ ſint Beginæ an illius? quid niſi riderer hactenus illius ignarus palæſtræ? vt paucis abſoluam, iam bello Troiano appetebat decennium, & multis iactatus inuiſiſsimis laboribus obſidendis foribus Procuratoris, Aduocati, Iudicis, & aliorum etiam, quos ſimilis exercebat cura: deinde in multas vrbes hac de cauſa ſubinde profectus, aptiſsimus eram faciundis itineribus. & quòd nullum remedium daretur agendæ pacis, obnitentibus parentibus; nam ipſe viam videbam perquàm facilem, ſi traditis Beginis aduerſario deſiſterem à litibus, quia inquam bellum erat inextricabile, omnino decreueram primam quãque occaſionem fugæ capere, nõ tam amore Arabicandi, quàm odio litigandi.

SVB id tempus verſabatur in Brabantia D. Fernandus Colon, cuius parenti Chriſtophoro debemus repertas Indias. ſit pax & requies vtriuſque manibus, nam anno ſuperiore defunctus eſt Hiſpali Fernandus: qui, vt plerique noſtis, Europam vniuerſam hac gratia peragrauit, vt quas haberet opes memorabili cuipiam conſecraret parandæ bibliothecæ. Eam contemplatus ſum nuper Hiſpali, omne genus libris refertiſſimam. Sed vt cœperam, cùm veniſſet Colon Louanium, comparaturus & illic ornamenta ſuæ bibliothecæ, communicatis conſiliis cum Poëta Reſendio, homine multis nominibus mihi colendo, animum ſibi eſſe dixit, vt quempiam honeſto ſalario ſecum abduceret in Bæticam, cuius & iudicio in libris, & ſocio queat vti in ſtudiis. Reſendius, qui ſæpe mihi prædicaſſet Luſitaniam, & per iocum aliquando vaticinatus eſſet me illuc conceſſurum, anſam præhendit à patria diuellendi Clenardi, opinatus non deſideraturum ſe artes mei pelliciendi in Luſitaniam, ſi ſemel intraſſem Hiſpaniam. quare hominem ſecum adducit in auditorium, vbi enarrabam Chryſoſtomum de ſacerdotali

digni-

dignitate, peractaque lectione, ſtatim mihi propoſita eſt conditio; & paucis interiectis diebus accingimur profectioni Hiſpanienſi. facilè namque res tranſacta eſt, cùm & ſitirem Arabica, nec alia ratione liberari poſſem à litibus. Cunctis admirantibus, quòd fermè iiſdem prouentibus perceptis Louanij, tam longinquam ſuſciperem peregrinationem. neque enim ſciebant qui me agitarent ſtimuli.

TVAS Beginas quis interim tuebitur? quem relinquis pugnaturum in bello Troiano? Quaſi deſint Procuratores, qui abſente cliente non poſsint extendere litem. Iam & ipſæ Beginæ diligentiam omnem præſtaturæ fuerant, vt ſimulatque cecidiſſent Pergama, mox ex Hiſpaniis aduolarē curru inuectus triumphali. Fabulæ cataſtrophen narrabimus, poſtquam calamus peruenerit Braccaram. Relicta ergo Brabantia, identidem reſpectans Louanium; & memor iucundiſsimi cōgerronis Rutgeri Reſcij, ſalutato etiam Cameraci meo præceptore, probè defatigatus tandem veni Lutetiam, non ſine riſu D. Fernandi. qui dum per viam contemplaretur me Vaſæumq; ſic equis illigatos vix ferre diutinam ſeſsionem, imprudentiam ſuam damnabat, qui non ſolùm noſtri cauſa, ſed etiam iumentorum non ſumpſiſſet chirurgum quempiam itineris comitem, adeò nos infernè, contrà equi supernè lædebantur. quid enim? Hactenus in plauſtris vecti fueramus, & equinis dorſis magnam molem ingerebat imperitia, quòd ſtapedæ nobis ſtandi locum non darent, magis ſolicitis manibus in arripiendis ephippiis, quàm compoſitis pedibus in premendis ſtapedis. Ego præcipuè longus, & graui corpore, quoddam eximium prębebam ſpectaculum, quoties vrbem aut pagum ingrederemur, omnium fermè oculis in me vnum coniectis, quo nomine debitor mihi eſt Vaſæus, nihilo me concinnior equitando, quod dum ſolus hominum ſcommata cogerer excipere, ipſe ad mea monſtra immunis tranſmitteretur. quanquam

quodam die, ſecurus dicteriorum quæ in me iaculabantur, ſocium pœnarum habere mihi ſum viſus, dum globum equo circumferri clamarent. ſiquidem Vaſæus, veritus ne decideret, prono capite fermè dentibus equinam iubam occupauit, & figura corporis flexi velut in gibbum redigebatur. Multa deinde poſtquam egreſsi fuimus Galliam, adeò ſumus admirati, vt meritò liceret in ius vocare Dialogum Eraſmi, qui Germanorum diuerſoria, velut aliquid haberent incommodi, tam contra omnem æquitatem ſtuduit traducere: reuiuiſcat, & pergat Salmanticam. docebit eum Vaſæus velut alterum Diogenem caua manu bibere. nam apud Cantabros, ſi rectè commemini, poculum nobis frangebat vitreum, cùm alterum non eſſet in tota vicinia. nec etiam hypocauſta faſtidiret, quod aduenis mercatoribus opplerentur, conſpurcatis ocreis. ſiquidem haud procul à Pincia, gelu conſtrictis omnibus aquis, & frigidiſsimo flante Borea, cùm vniuerſum pagum luſtraſſent, vix tandem vnus repertus eſt ſarmentorum faſciculus, nec alia illic ſunt ignis fomenta. huic tam maligno foculo, fermè decem aſtantes monſtrauimus rigidas manus, & flammam oculis contigit cernere, nam extrema linea calefieri haud nihil eſt. Hîc te oro mi Vaſæe, ſi hæc fortè in manus venerint, ne Hiſpanorum nomine mecum litiges. quando enim iam cooptatus es in Luſitaniam, & ſedem ſempiternam fata tibi dederunt in Auguſtæ Braccaræ gymnaſio, alia ſuo loco narrabo de Luſitanis, quæ reliquis Hiſpanis meritò ſint ſolatio, tibique iuſtiores vindicandi cauſas præbeant, quòd omnia bona debeas Luſitaniæ. Iter nobis inſtitutum erat rectà in Bæticam, Hiſpalique verſaturi eramus triennio. nam longius exilium parentes mei concedere nolebant, & omnino tanto ſpacio lis noſtra cõponenda videbatur. Verùm Colon & ipſe fraterno nomine rẽ habebat controuerſam, & Iuriſconſultos adire volebat, quos tenet Salmantica doctiſsimos. Quare dum ibi dies aliquot

inter-

interquiesceremus, & mulis darentur induciæ (nam & harum dorsa fregimus) aliis insignem lustrantibus Academiam, & vt fit, huc atque illuc visendi gratia deductis, Clenardus breui procerus tunica, inter Scholasticos obambulabat, & Professorem quærebat Arabicum. Cumque in tanta studiosorum frequentia, qui illic pro Scholis mutuis sermonibus inhærebant, peregrinus veste Brabantina fuissem, vt æquum erat, admirationi; tamen hoc verè possum de Hispana grauitate dicere, me neminem sensisse, qui petulantiùs externum rideret, quo vitio non carere multas nationes, nemo nescit profectiones obire solitus. Quin & primo statim die ignotum adolescens familiariter appellauit, frater Doctoris Poblij, & colloquio perceptis meis studiis (neque enim carent Hispani ingenio) statim prædicare cœpit literatissimum virum Fernandum Nunium, Professorem Græcum, nihilque me gratiùs facere posse, quàm si eum inuiserem. Inuiso, & causam, vt fit, peregrinationis sensim aperio, longo prius sermone producto, cum me ille ego ipsum vicissim de variis rebus percunctarer. Et quia iam adolescens ille, Chaldæos Arabicosque Professores desiderari narrasset: verùm hunc Nunium, & has olim coluisse literas, rogo nunquid haberet Arabismi? Quid, inquit, tibi cum hac barbara lingua? abundè multum est cum Latinis etiam didicisse Græca. Laboraui, inquit, & ipse iunior hac insania, nec contentus Hebræis, adieci etiam Arabica. Verùm nunc omissis omnibus, tantùm versor in Græcanicis. seduloq; cœpit me ab isto proposito dehortari, specimenq; amici veri primo statim congressu non obscurũ exhibuit. Quando enim semel facta mẽtione claris indiciis vehementẽ amorem testatus fuissem, quòd mihi difficile sit vulnus nõ detegere Medico, poterat ansam nactus, care vẽdere codices, quos velut inutiles reiecerat, sed nõ p̃mittebat; humanitas vt homo omnibus humanitatis artibus excultus, sui spectator commodi, priuatũ emolumentũ

ante-

anteferret officio fidei. At ſurdo canebat fabulam, & geſtiebam quamprimùm oculis inuolare in librum aliquem, qui vocales doceret Arabicas, necdum enim videram. Inſtanti & ſedulò roganti, iam perſpecta firmitate propoſiti, cras, inquit, redibis, & ex aceruo meorum codicum eruemus Arabica, ſiquidem in præſentia vbi lateant ignoro, tam in obliuionem abierunt mihi chartæ Machometicæ.

O te felicem Clenarde, qui conſpecturus ſis vocales Arabicas: non potes duci pœnitentia profectionis. omnis iam res eſt in vado, aliiſque multis apud me diues gratulationibus, ab amico diſcedebam, mirè exhilaratus. tam enim in iſtum laborem animatus eram, vt etiam vocalibus inueniendis mihi non crederem defuturum ingenium, modò tantùm adeſſet codex. Quid putatis, niſi me noctem inſequentem inſomnem pariter & ſomniantem totam triuiſſe in fodinis Arabicarum vocalium? Reuerſus poſtridie, bonis reſalutor ominibus, &, En tibi, inquit, quatuor Euangelia pulcherrimis characteribus: alia reperire non potui, etſi diu quæſita. Ego bonam fortunam exoſculor, & quaſi mihi in omnibus queam eſſe præceptor, parum vrgebam, vt me doceret, cupiens ſcilicet periculum facere, quantum valeret hic quoque curioſus ille ligo, qui conſonantes inueſtigauerat. Miſcendis tamen colloquiis, optimus vir Alphabetum poſtremò depinxit. & protinus conſpecta litera, quæ me Louanij cruciauerat, quæ eſt iſta, inquam? eſt, inquit, litera ל. ita, inquam, ſuſpicatus eram, ſed pronũciare non audebam. Diſcrimina præterea docuit inter nonnullas, quas confuſas gerebam, vt ſuprà ſcripſi. Atque hæc mihi fuerunt viuæ vocis prima præſidia. hic mihi in Arabicis primus inuentus eſt præceptor, quem tanti feci & ſemper facturus ſum, vt quicquid per me ſtudioſis huius linguæ ſit euenturum, totum humaniſsimi viri beneficio acceptum ferri velim. qui niſi contigiſſet Salmanticæ & libros, vt eſt ad bene merendum expoſitus, libenter

benter ſuppeditaſſet, nunquam curioſitatis meæ fructum reportaſſem. Ego tibi chare præceptor, & meo nomine, & aliorum omnium quibus tua profutura eſt bonitas, hic inter Afros hoc calamo gratias ago ſempiternas, & quamuis præſens epiſtola non eſt iis reſperſa dotibus, vt te dignam ſortiatur immortalitatem, tamen quia tuis auſpiciis eò peruenimus, vt Machometicas literas conemur in omnes Chriſtianorum angulos inuehere, dabimus operam, vt quemadmodum literas Græcas tibi debet vniuerſa Hiſpania, ſic & omnes quotquot Arabicantur, nomen celebrent Fernandi Nunij.

EST Salmanticæ diuerſorium haud procul à foro, cui eſt inſigne Crucis, in eo tum aduenæ morabamur, in eo didici vocales Arabicas, parum vocalem conſulens magiſtrum, nempe codicem mutum. ſed non debebant Euangelia cedere Pſalmis, parque fortuna, qua pridem vſus fueram, hîc quoque mihi obiecta eſt, in ipſo ſtatim initio. ſiquidem Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham minio depictis vocalium notis, facilè commonſtrabat quid quærerem, tantus eſt & illic catalogus, vt ſcitis, nominum propriorum. Cæterùm quando Latinis ſint quinque, non reperiebam niſi figuras tres, & nunc mihi Arabes pauperes videbantur characteribus vocalium, qui tot differentiis ſecarent conſonantem D. Duas a & e ſono diſtinguebam, miniatus index vnus & idem vtrique ſeruiebat. ſic & altera figura indiſcriminatim reddebat o & u. hîc meritò perplexus angebar, nec meopte ingenio poteram, quantumcunque foderem, theſaurum iſtum inuenire, niſi quòd in mentem veniebat, fortè ſic Arabicas vocales diſsidere aliis atque aliis adiectas conſonantibus, perinde atque diſparem edunt apud nos ſonum quædam conſonantes interuentu diſparium vocalium *ca, co, cu* non idem efferunt, quod *ce, ci*, ſic & *ga, go, gu*, non conſentiunt cum *ge, gi*, quare dubio iſto ſic me liberaui. Certum eſt hanc apicem

eſſe

eſſe ſymbolum duarum vocalium, & iſtum quoque totidem. non licet in præſentia rem diluere. referamus proximo congreſſu ad oraculum viuæ vocis, & pergamus ad alia.

IAM ergo noueram ſic literas, vt lingua quoque legerem, non ſolùm oculis, collatoque codice Græco cũ Arabico, ſenſim ſeſe mihi cœpit aperiri notitia Grammaticæ, nam protinus offendi, quod ſuſpicabar eſſe Hebraicum Dages, adeò vt iam de coniugationibus diſtinguendis laborandum videretur. Sed quia ſpes omnis mihi collocata fuit in libris, & audiueram proſtare neſcio quem Grammaticum, continuò emi codicem, erat autem is cuius ſuprà mentionem feci. Vnde illud hauſi quod me remorabatur in vocabulis, & nihil præterea. Deinde & ſchedam protulit frater Iacobus Hallenſis, repertam in angulis vbi depictæ fuerant literæ, quæ & ipſa nonnihil habuit momenti, magis ad confirmandas conceptas ſuſpiciones, quàm vt aliquid doceret incogniti. Paucis pòſt diebus adeo præceptorem, qui ſimulatque me vidiſſet, fauet, inquit, Machometus tuis ſtudiis non ſine riſu, repperi libellum rudimentorum, ſine quo nihil queas efficere. ſimulque lectitare cœpit, me admirante, quòd poſt tantum temporis non penitus omnia homini veniſſent in obliuionem. quanquam magis ſermonem inclinaui ad mea dubia, non ignarus viæ, qua ſperabam aliquid me laboribus aſſecuturum. Quare apertis Euangeliis, nónne inquam, ſic id legis? maximè. & illud quoque nónne hoc pacto? admodum. & ita porrò prouectus colloquiis, de ſumma rei Arabicæ pronunciabam, quid adiutus Hebraicis me comperiſſe crederem, ille contrà & annuebat, & vltrò etiam quædam protulit, quæ ſuggerebat memoria. Oſtendit præterea codicem alterum, in quo dicebat contineri quicquid eſſet Grammaticæ, verùm inprimis legendum eſſe illum exiguum Gurremiam, id libro nomen eſt. Quare quando me ſic animatum conſpiceret, iuſsit vt quotidie ſtatis horis

ad

ad ipſum commearem, ſe in mei gratiam reuocaturum priora ſtudia in memoriam, & Gurremiam interpretaturum. Statim prima lectione res diſplicuit, nec inde auſpicandum putabam, ne tamen præceptoris iudicio refragarer, obſequentem me prębui quatuor aut quinque diebus, non quòd fructum magnum è lectione reportarem; ſed vt redditus in dies familiarior, alterum illum nanciſcerer codicem, quem verebar flagitare, ne cenſerer monentis auctoritatem nihili facere. Quare diſcipulum præſcriptis horis agebam Gurremianus, domi verò tractandis Euangeliis, verè diſcendi rationem meditabar. ac primùm illud obſeruaui, hoc Arabes adieciſſe legibus Hebræorum & Chaldæorum, vt etiam nomina certis variarent caſibus, commutandis vocalibus poſtremæ conſonantis. Collegi coniecturis fretus, quid noſtro reſponderet nominatiuo, quomodo efferrent accuſatiuum, & breuiter tribus eos caſibus aſſequi ſex Latinorum, nec dubitabam, quin ſi alterum illum euoluerem Grammaticum, omnia meopte marte poſſem peruincere. ſiquidem videram paſsim eum adnotatū interpretamento Latino, adiectis etiam in margine nonnullis adnotationibus, è quibus fieri non poterat, quin aliquid rudi lectori monſtraretur. Vicit pudorem cupiditas, & oraui vt me ſineret diebus aliquot mea frui ſententia, me ſperare, ſi eum lectitarem, non perdendam operam. Erat ipſe Nunius non immeritò prædicator Gurremiæ, tum quòd ei primus obiectus fuit dum Arabicaretur, tum etiam quòd & Garnatæ, & in Africa quoq; fermè hunc libellum initio tradendum arbitrarentur diſcipulis. At mihi longè alia probatur inſtituendi ratio, præſertim apud Latinos, qui ne vocem quidem audiuerint Arabicam. & niſi penitus ignoro, quomodo formandus ſit Grammaticus, ne ipſis quidem Africæ literatoribus hac parte ſubſcribo.

ERGO ſolus in mea tenui bibliotheca, hoc eſt inſtructus Euangeliis & grandiore Grammatico, qui appellatur Albucaſim, me compoſui ad rimandos canones

nes Grammaticæ Arabicæ, quod perinde fuit, quasi Latinus cognitis modò characteribus Græcanicis proposito Demosthene, & quarto libro Theodori Gazæ, conetur addiscere Grammaticam. siquidem Albucasim, neque Nominum declinationes, neque Verborum tradit coniugationes, sed omnis res est in eo de Syntaxi, hoc est, quæ quibus gaudeant casibus. Hîc mihi spectate & aliam molestiam: Primis pagellis, non sanè multis interpretamentum Grammatici Latinum erat, & iuuare poterat, in progressu autem nihil reperi nisi linguam Hispanicam, quam æquè ignorabam atque Arabicâm. Verùm quia me fata voluerunt Arabicari, ne sic quidem animum despondi. Erat vnus & alter è nostratibus Salmanticæ, quos consulebam in Hispanicis, mox inde colligebam Arabica. Ad hæc quia iam voces plurimas discebam ex Euangeliis, non rarò fiebat, vt discerem etiam obiter Hispanicè, dum in ea versarer Grammatica. Siquidem iam tandem post illud Lexicon conflatum Louanij, quod oculis modò seruiebat, ex Euangeliis concinnaui Dictionariũ, quod lingua posset sonare. in quo tam fui diligens, vt nullum esset in quatuor Euangeliis vocabulũ, quod nõ suo loco compareret in hoc Dictionario, idq; suis affectũ numeris, vt consulto Lexico, conspiceres illico, quota pagina, quoto versu cõtineretur in Euangeliis. id quod omnino faciendũ erat, vt collatis in vnum multis locis, coniectura me doceret rationem formandi numeri pluralis, quem redigere in certos canones, legendis tantùm auctoribus, haud aliud est, quàm sine vllis Grammaticis, è Cicerone aut alio Scriptore contrahere vniuersas terminationes tertiæ Latinorum declinationis, & statuere quæ terminatio quem faciat Genitiuum. Ad eundem modum, quid creditis mihi contigisse laboris, inuestigandis Coniugationibus? viderunt plerique Tabulas Hebraicas, quas edidi dum agerem in patria, nec ignorant quanta sit varietas punctorum, quibus discernuntur Coniugationes verborum. ista sunt omnia per-

pendenda

pendenda in Arabicis, vbi & perfectæ ſunt voces perpetuò gerentes triadem illam Conſonantiũ, & imperfectæ, modò hac, modò illa fraudatę Conſonante, haud ſecùs atq; in Hebraicis: niſi quòd multò ſunt copioſiores Arabici coniugationũ multitudine. Nec euadere licuiſſet ex his anguſtiis ſine incredibili Dei beneficio; tanta eſt congeries rerum, quæ ſuis quæque locis erant diſponendæ. Verùm improbitate laboris, & crebrò illud Pindari noſtri cogitans: Deus quis ſimilis tibi? ne taceas, nouem menſibus in Arabico piſtrino, quanta potui maxima temporis cura verſatus, eò promoui, vt munus docendi publicè non reformidaſſem. parumq; abfuit, quin Cathedram ambirem Arabicam, quæ Salmanticæ tot annos deſiderat Profeſſorem. Iamque rem fermè tranſegeram cum bibliopola Iunta, vt nobis excuderet exiguum libellum de linguę rudimentis, quòd illic nactus fuiſſem eximium ſculptorem, hominem noſtratem, qui typos formaturus erat Arabicos è buxo. Verùm mutauit Iunta ſententiam, veritus ne ſumptum faceret ſine lucro, propterea quòd paucis cordi futuras ſuſpicaretur iſtas literas.

DVM ſic mea ſeſe haberent Salmanticæ, præter Iacobum Hallenſem, qui iure patriæ ſtatim mihi factus eſt familiarior, amicum etiam eximium ſeſe præbuit Franciſcus Caſtellus, celeberrimus Concionator in monaſterio Diui Franciſci, vir & in Theologica palæſtra pulchrè verſatus, & Græcas Latinasque literas inſigniter doctus. cuius perſpecta fide, & quotidiana cõſuetudine creſcentibus illecebris, amorisque ſtimulis, eò neceſsitudinis deuenimus communicandis ſtudiis, vt hominem omnibus cõſiliis haberem intimum. Mox & alter in amicorum venit catalogum Andreas Vega: qui ſi fuerit vitalis, egregium aliquando daturus eſt ſpecimen ingenij. ſed de hoc aliâs. Is hoſpitem deduxit ad ſummum Theologum Franciſcum Victoriam, tanta me excipientem humanitate, vt nihil ſuprà. Non hîc laudabo calamo debili; doctrinam tanti viri, ne minus

dicam quàm ille mereatur, & in Galliis & in Hiſpaniis eruditionis nomine nobilis. ſed quòd pauci norunt, etiàm Salmanticæ, tacendum non eſt. Neminem me noſſe, ne ex ijs quidem qui omnem ætatem in Latinis literis triuerunt, cuius tam placeant epiſtolæ, vt quas ad me multas miſit Victoria. Quòd ſi animum aliquando ad ſcribendum appulerit, orbem vniuerſum fama nominis occupabit. ignorat Salmantica quem poſsideat theſaurum in noſtro Victoria. gratulentur ſibi Dominici monaſteria, quòd tale decus meruerunt. Vtrumq; Franciſcum illic officiosè colui, neutrum tamē pro virtutibus celebrare poſſum, adeò me ſuis beneficiis tenent obnoxium. Cum multis aliis illic mihi conflata eſt neceſsitudo, qui vniuerſi ſummoperè ſunt adnixi, ne diſcederem Hiſpalim, effectumq; eſt, vt interuentu Reuerendiſs. domini Cardinalis, D. Ioannis à Toleto, qui tum Epiſcopus erat Cordubenſis, nunc Burgenſis, vt Colonicis pactis liberatus, filium fratris docendum ſuſciperem, Ludouicnm à Toleto. Poſtmodum & ipſa quoque Academia, honeſto ſalario prouinciam detulit, & in Profeſſorum cooptauit numerum: adeò vt priuatim & publicè me Salmantica beneficiis ſit proſecuta, quorum non poterit excidere memoria.

VIXDVM muneri inauguratus eram, cùm ecce nobis è Luſitania venit Poëta Reſendius, Legatus nomine Regio, & fratris Principis Henrici, prolatisq́ue vtriuſq; literis, & adhibitis in conſilium amicis, ſic me incantauit ſuis carminibus, vt cum bona Salmanticenſium venia, pertraheret in Luſitaniam. præcipuè tamen cunctantem auctoritate ſua compulit Marcus Teyninger natione Germanus, iuuenis vltra fidem prudentiâ quadam ſenili præditus, cuius mores & grauitatem expertus aliquot menſibus, quibus fui apud eum in hoſpitio, tam ſum admiratus talem ætatem talibus dotibus cumulatam, vt nihil aliud cogitarem, quàm me apud Regem quempiam Philoſophum diuerſari, adeò velut in manu gereret orbis habenas, de quouis themate mira

mira

mira dexteritate differebat, bonam etiam Europæ partem faciundis profectionibus contemplatus, Vlyssem nobis referebat. Qui cum omnibus meis casibus, post initam necessitudinem præsentaneum tulerit auxilium, & consuetudine quotidiana, tanquam fratris locum, vulgi iudicio teneret, me etiam facillimo præcepto muniuit, ad capessendam vitam aulicam. Siquidem quando Resendio potissimum excusarem quòd essem ab eo vitæ genere multum alienus, & grandior annis iam ægrè possem induere mores, quibus inter Proceres & Magnates vtēdum est: imò, inquit Teyninger, cauendum est, ne te velis recudere, fiasque ridiculus. At sum rusticus, inquam, & quid in aula faciam Theologus? Antiquum, inquit, obtine. quanto magis mordicus istam rusticitatem tueberis, tanto placebis magis. non vocaris propter tuos mores festiuos & elegantes, cùm sis planè Campiniensis, (nam & in Brabantia vixerat Marcus) sed cupiunt hominem quicum tractent literas. At non sum grandis Theologus, nec tanti Regis expectationi queam satisfacere. Quod præstare nequeas, inquit Resendius, non postulamus, trade modò Principibus quæ nosti. Itaque relinquo Salmanticam, comite profectionis meo Marco, in biduum: qui cùm valediceret, oborto vehementissimo dolore velut attonitus pergebam in itinere, ne Resendio quidem rumpente silentium, quod sublatus Teyninger nobis impresserat, donec tandem voces cum lacrymis ederem, tam iucunda mihi fuerat tanti amici consuetudo.

VBI venimus Eboram, (nam illic erant statiua tunc aulæ Lusitanicæ) quàm humaniter sim exceptus tum à Rege, tùm à meo Principe, longum esset commemorare. Regis oraculum fuit, non futurum, vt me pœniteret illius profectionis, id quod non modò re ipsa comperi, nactus copiosum studiis meis otium, verumetiam quòd, præterquam quòd præclarè de me merita est Lusitania, talem etiam Principem & Mæcenatem sum

ſortitus, cuius ſola virtus quemuis in amorem rapiat. Natales,genus,diuitiæ,nihil capeſſendis diſciplinis obfuerunt:ſed tam modeſta illis omnibus Regis Emanuelis liberis eſt purpura, vt vel plebeios morum comitate ſuperent. Et quamuis temporis ratio duceretur exactiſsima, nec à lectitando ſibi indulgeret ferias, niſi quantum negotiorũ quotidiana moles flagitaret: eximium tamen pietatis decus me tractare gaudebam,indolemque fouere, quæ olim in Chriſtiana religione magnum habitura eſſet momentum, eam ſic quotidianis incrementis hactenus exeruit, vt non dubitem, ſi Deus vitam prorogauerit,quin ſtemmatum gloriæ,qua nulli cedit, talem ſit additurus titulum,qui in Chriſtiana ditione ſummis laudum rationibus debeatur. vt quemadmodum fraternis imperiis bona pars Aſię Africæq; ſubditur, ita in proferendis noſtræ religionis pomœriis, ille iam fermè vnus ſuperſtes è reliquis fratribus, nomen memoriamque ſit deportaturus ſempiternam. Tacebo Græcas, Hebræasque literas, quas præter Philoſophiam & Theologiam vtcunque deguſtauit. nec nominabo Mathematicas, quas & ipſas didicit: propterea quòd ſingulari pietate præditus animus, religioniſque Chriſtianæ ſtudioſiſsimus, nullam ex iſtis laudem vendicare conetur. Vbi vbi agis mi Reſendi, quocunque te contuliſti optime Teyninger, vobis gratiam habeo, qui me ruſticum miſeritis ad Luſitanos.

QVID dicam de amicis? Reſendius primas partes obtinet,Poëta cum veteribus comparandus,cui ſi iuge ſtudium ſtaret poëticum, non minus nobilitaret ſuam Eboram,quàm Lucanus Cordubam.Cum quo tametſi iampridem contracta fuiſſet familiaritas Louanij, magis tamen culta fuit in Luſitania, non ſolùm propter diuturniorem vſum, ſed etiam quòd amicitiæ prioris fructum vberrimum protulit, delatus Salmanticam, vt me faceret Luſitanum. Nouas verò multorum ibi lucrifeci amicitias. In primis Georgij Cœlij, viri præter

Græca-

Græcarum literarum peritiam, sic & prosa & carmine celebris, vt dubites vtro magis polleat. mihi semper ob id probata est oratio eius soluta, quòd nesciam, an hodie sint qui tam propè accedant ad veterem illam Romanam eloquentiam. Sermo est purus, concinnus, & eleganti munditie, nec quicquam tamen præ se fert affectatum. Videorque mihi non immeritò Resendium inter Poëtas, Cœlium inter Oratores collocasse, quòd eò mihi res redacta iã iudicatur, vt in bello quod spiro contra Machometum, Cœlius orare melius, Resendius canere posit sonoriùs. Inter Theologos autem, quem quæso præferam Ioanni Paruo? qui cum mihi mensa fuit communis toto biennio: quemq; non minus quàm parentem charissimum venerari debeam. is cùm annos natus esset sexaginta duos, non contentus Græcis literis, quas occupatissimus templi functionibus didicit, à me etiam initiatus est Hebraicis, quas nocturnis vigiliis tam ardenter concupiuit, vt paucis mẽsibus sine cortice naret, vt vtar verbis Horatij. cumque omnium Canonicorũ diligentissimus esset, obeundis quotidianis officiis, nec statas illas vacationes vsurparet, quæ solenni consuetudine conniuent, ad illud vulgò iactatum: Beneficium dari propter officium; tamen cura perfecit, ne domi desideraret ocium quod consumeret in literis. Cæteras dotes & viri probitatem hinc colligite, quòd cum multis egregiè doctis spectatæque vitæ non careat Lusitania: Paruum tamen nuper Rex inclytus, nulli prouehendo Religionis negocio secundus, cæteris posthabitis, sua sponte designauit Episcopum. cui quotquot Hebraicis literis sese tradiderunt, annos precari conuenit Nestoreos, adeò magnum possident in Episcopo Paruo studiorum patronum. Erat etiam nõ postremæ notæ D. Franciscus Mellonius, genere ac literis adeò præditus, vt & inter aulicos proceres dignitatem, & inter eruditos claram famam teneret. qui, aduenienti mihi Eboram, primus hospitis nomine sese commendauit, & omnibus in rebus sum-

mum fautorem præbuit. sed non licuit multo tempore hoc bono gaudere, nec perpetua necessitudinis vincula constringere, quòd sublatus è vita mœrorem acerbum amicis, cladem flebilem intulit aulæ Lusitanicæ, tantum vir ille consiliis, prudentiaque Rempub. iuuare consueuit, magis natus iuuandæ patriæ, quàm spectandis priuatis commodis. superi illum in beatas sedes accipiant. Nec silentio prætereundus est Franciscus Geraltes, egregius Medicus, vtraque lingua bene percultus, & vir acerrimi iudicij, qui tametsi inter amicos non infimum locum occupauit, partim eruditione commendatus, partim magno in me collato beneficio, quòd graui morbo decumbentem, in pristinam incolumitatem restituit, arctiùs tamen coalescere poterat mutua inter nos beneuolentia, si tam lectitasset Arabicè Auicennam, quàm erat sectator Galeni. hæc quid sibi velit oratio, non ignorat Arabicaster paruulus. Missos faciam reliquos, vt properem ad Antonium Philippum, tam deditũ Medico Arabico, quàm deuotus esset Geraltes Græco.

EST hîc Antonius inter Eborenses summi nominis, & quod me titillabat, libris Arabicis instructus quamplurimis. Mihi verò nihil erat codicum præter Euangelia illa, & vnum Grammaticum, quorum præsidio nactus eram, quicquid habebam Arabismi. Et studia Arabica iam desierant, postquam sedem cepissem inter Lusitanos. Quare, tametsi fermè vicinus esset Antonius, non tamen multum fueram anxius, vt bibliothecam inspicerem. Hoc etiam segnior quòd surditatis vitio laboraret, parum commodus futurus hac de causa vel præceptor vel congerro. Ipse vltrò quodam die, nescio an à Resendio doctus de meis studiis, salutator aduenit, & velut expergefacere cœpit alto somno pressas literas. Et quamuis hinc quoque Resendius arma cepisset, quibus me expugnauerat; nam Salmanticæ cùm rogassem, nunquis esset in Lusitania peritus Arabicè: est, inquit, Medicus quidam doctissimus,

qui te ad ſaturitatem doceat. Igitur tametſi etiam hic non leue momentum fuerat ad accipiendam conditionem Luſitanicam, tamen vt fit præſenti bono non admodum ſolicitabar, ratus mihi non defuturum, quoties libuiſſet ea ſtudia renouare. Poſtea creſcente inter nos amicitia, ſenſim redij ad meas priſtinas delitias. cumque ita ſeſe res tuliſſet, vt meus Princeps aliquot diebus abeſſet, & domi liceret omne tempus mihi ſumere, vt nunquam antea feruebant Arabica, ob id quòd & ſocium laboris nactus eſſem hunc Antonium, & ſicubi dubitarem, etiam præceptorem, præſertim in huiuſmodi vocibus, quas vſurpant ſcriptores Medici. nam Grammaticam prorſus ignorabat. Eo tempore Lexicon, quod hactenus in ſchedis iacebat ordine ſuo digeſtis, in iuſtum librum contraxi, & vt lectitando proficiebam, ſubinde nouis vocabulis augebam. Nam & Auicennæ partem diligenter euolui, non quòd me caperet ars Medica, ſed quia non erant apud Antonium niſi id genus codices, & iam tantum noueram rerum Grammaticarum, vt nihil reſtaret niſi auctorum tractatio. Cæterum ſupra modum me turbabat Latina verſio, propterea quòd Interpres ſic aſsideret literæ, vt nec phraſes commutaret tam alieni à nobis idiomatis, nec vim proprietatemque vocabulorum ſatis redderet. Arabica diſcebam quæ ignorabam, nec ea licebat è Latinis parum elegantibus colligere: contrà collatione Græci codicis ſic me iuuabant Euangelia, vt è Græcanicis phraſibus non incognitis, facilè conijcerem dictionem Arabicam. Quare conſultum videbatur, Galenum aut alium quempiam verſare, qui è Græco tranſlatus eſſet in Arabicum, placuitque commentarios expendere, quos ſcripſit Galenus in Aphoriſmos, adhibita etiam verſione Leoniceni, quem tribus aut quatuor locis animaduerti, non tam rectè ſenſum percepiſſe, quàm reddidit Interpres Arabicus. Interea tentaui epiſtolas quoque componere, & me exercere ducendo ſtylo:

poteramque facultatis nonnihil comparare, si perdurasset exercitatio: verùm non tam gaudebat alter hac literarum vicissitudine, mihique illius epistolæ quandoque olebant, nescio quid vulgare, quod non satis iudicaram elegans. quare rursum intermissa sunt ea studia, tum vt iucundioribus disciplinis fatigatum ingenium auocarem, tum quòd iam abundè me paratum crederem, vt redditus patriæ professionē hanc instituerem. & vt verū fatear, multum etiam deuorabam molestię, quòd res mihi esset cum surdo. nisi quòd vt mutos magistros, Salmanticæ nouē mensibus, sic Eboræ fermè septē surdos pertuli nimio ardore discēdi.

IAM annus instabat quartus, & adornabamur ad profectionem Braccarensem, vbi meus Princeps Archiepiscopus Braccarensis, rem Ecclesiasticam constituere, & cogere Synodum volebat, instaurandis moribus, vtcumque hic illic collapsis. Ego modis omnibus abhorrebam ab itinere, rursum in Louaniense veternum redactus, & diuturna quiete peregrinandi artem dedoctus, nihilque non causabar: quo liceret permanere mihi interim Eboræ, veritus, vt ingenuè fatear, ne per viam inter proceres aulicos essem ridiculo: nihil enim vnquam vidistis ineptius peregrinante Clenardo; tanquam ad amussim præceptum seruaueram mei Marci, vt toto triennio nihil didicissem aulæ, nisi quòd nossem vbi esset aula. hoc tamen effeci, vt postquam illi discessissent, subsequerer sine arbitris meorum vitiorum, & impunius peccarem submotis testibus. Tantum Ioannes Paruus, tùm Canonicus Eborensis, cuius suprà memini, ad sesquihoram comes fuit, vt subinde moneret quomodo tractarem frenum: nam iam in obliuionem abierat. Is pro sua humanitate vinum suppeditauerat, quod tertio demum die nobis futurum esset vsui: tum enim iter facturi eramus per vastissimam solitudinem, vbi vix media via casula sita erat perquàm exigua. Sed priusquam in illud desertum ingressi sumus, pridie sera no-

cte diuerſorium ſubiuimus, quod vnum par fuiſſet expiando Eraſmo, ſic infamanti Germaniam. Hordeum non erat iumentis, & vix palearum portio paruula. foris ſub dio ſtabulabantur, nos ſarcinis vtebamur pro ſellis, aut humi ſedebamus. Cœna planè fuit dubia, ꝙ incertũ erat an cogeremur ieiunare. Vinũ non deſiderabatur, & panis abundè ſuppetebat. ſed homini Brabantino congruũt & alia obſonia. Eia conferamus nos cubitum, ſiquidem cras ante diem abeundum eſt, alioqui pernoctabimus in Seruecca, ſic vocant eam ſolitudinem. age fiat. At neque lectus, neque locus vllus dabatur, vbi ſomnum caperes in anguſtiſſima domuncula, fermè iumentorum oneribus oppleta, dormiendum erat. Præter Gulielmum miniſtrum, tres ſeruos adduxeram Aethiopes, Dentonem, Nigrinum, & Carbonem; nam ſic eos nominauit Reſendius. hos inter, partim ſtans, partim ſedens, partim ſuſpenſus, & cubito ſarcinis innixus, ſic quieſcere conabar, vt nihil aliud expectarem, quàm mulionis clamorem, qui foris delitiabatur in ſtrato gramineo. Itaq; paulò poſt noctis conticinium, impatiens moræ, licèt ſomnolentus reliquos excitare cœpi. Credo decem & amplius horas equitauimus priuſquam pranderemus, cùm interim in tenebris procumberet equus miniſtri, & me in poſterum exemplo redderet freni tenaciorem. quanquam ne ſic quidem euaſi, quin & meus primoribus pedibus in genua flexis me fermè præcipitauerit. Vix tandem tantum itineris perpeſsi, conſpecta caſula, læti feſtinabamus ad prandium, & noctis ſuperioris damna penſauimus, cohortantibus etiam mulionibus, & omnia proſpera pollicentibus, ſimulatque traiecto Tago veniſſemus Taucos, qui pagus nos manebat ad veſperam. vinum, gallinas, perdices, capones, carnes arietinas & bubulas, fermè Siculas mẽſas nobis decantabant, adeò vt exhilarati, prolixius etiam hauriremus Bacchum illũ Eborenſem fermè fæce tenus ſiccata lagena.

VERVM extrema gaudij luctus occupauit, grauesque pœnas dedimus lætioris conuiuij. Siquidem ad ripam Tagi nox aduenientes occupauit, nec licebat iam traiicere. Ibi in muliones ſtomachatus ſum, quòd diutius protractum fuerat prandium. Quid ageremus? Vnum erat diuerſorium, quod parum cogitauerat de noſtro aduentu. Heus, inquam, hoſpes, habéſne paleas? obambulabat Polyphemus titanicum obtuens, & ne verbum quidem reſpondens. ruirſum ego: Domine, inquam, ſúntne paleæ noſtris iumentis? vix tandẽ & ægrè, neſcio, inquit. ſic & cæteri circumcurſitabant, partim exonerandis iumentis, partim quærendis paleis: plus enim equis timebamus quàm nobis. Iam præterierat ſemihora, cùm nunciat mulio domum plenam eſſe palearum. Vtinam, inquam, eſſem Rex Luſitaniæ, hunc hoſpitem in crucem adigerem: & ſimul circumſpiciebam, ſi quid in culina ſitum eſſet ad focum. Quid cœnabimus, hoſpita? nihil, inquit, habemus. nihil prorſus? nihil. Occidatur gallina: non alo gallinas vt vobis occidantur. Súntne oua? Quæram. at nihil inuentum eſt. Nihílne capitis piſcium accolæ fluminis? Quis, inquit, comederet piſces die carnium? ô quantum mihi acuebatur bilis. profectò ſi præſens fuiſſet Rex, ipſe tortòris munere fuiſſem functus, & fortaſsis imitatus Anthropophagos. Gulielme ſternatur menſa. Appoſitum eſt ſalinum, & vnus atque alter panis, cum interim intentiſsimos haberem oculos in ollulam, quæ adſtabat igni. Et quid, inquam, illic coquitur? Eſt, inquit hoſpita, laridum. Cedo mihi quippiam iuris, vt ſcilicet intinctum panem cœnarem. Non. famuli opus habent. At partem laridi ſummis precibus obtinuimus, credo vnciam vnam, adeò vt me recuſum ſuſpicarer & factum Italum, vbi locis quibuſdam carnes veneunt vnciatim. irritatus ſtomachus, & velut ſemuncia leuiter perſtrictus, appetebat laridum: & nihílne præterea, inquam, domi eſt laridi? Eſt, conij-

ciatur

ciatur in ollam, aut ſuper prunas aſſetur. Carnes porcinæ, inquit hoſpita, ſub noctem lædunt ſtomachum. O veneficam cum tua iſtac medicina. Pruriebant dentes Gulielmo Hollando, Clenardo Brabantino, & ad muliones conuerſus, vbi, inquam, ſunt perdices, quas ſomniauimus in prandio? Illi verò cepas rodebant crudas, & nihil indignabantur: quin & conſilium dabant, vt aliquot aſſas ipſe comederem. hæc enim ſacra videbatur anchora. Earum condimentum eſt oleum cum aceto. Oleum maligne præbitum fuit: acetum verò non erat in acerbiſsima domo, niſi quòd eiuſmodi nobis promebant vinum, vt facilè nomen tueretur aceti: hoc ergo oleato condiuimus cepas, quas tam repperi ſapidas, vt deinceps contra omnes caſus aduerſos, & malam fortunam, hoc vnum circumferrem in ſarcinis remedium: atque vtinam aſſatæ fuiſſent complures, tam eram ea nocte famelicus, credo propter iram immodicam bene digeſto prandio. Commodùm in mentem venit vt panis laminas toſtas madefacerem vino, rogabámque nunquid reliquum eſſet vini Eborenſis. non, inquit Gulielmus, nam pluſculum lætati fuimus in prandio. At vide, inquam, vt ſcilicet vel reliquias odoriferi Bacchi dilutas aqua inſpergerem pani. inuenimus ſemiſcyphum, & his bellariis cohoneſtauimus opiparam cœnam, magno nimirum malo, quòd poſt illud obſonium magis etiam latrare cœpit ſtomachus. Sed quia iam omnia fueramus periclitati, & nihil eduliorum reſtabat, ſaltem aliquid ſolatij nox oſtendebat, quòd in molli ſtrato quieſcerem. Gulielme, inquam, paretur lectus, & abeamus dormitum. Non, inquit hoſpes, opus eſt lecto menſibus his æſtiuis. At mihi, inquam, opus eſt, non aſſueto cubitare vel humi, vel ſuper nudas tabulas. Non, inquit hoſpita, lectum habemus. O Luſitani, inquam, apud me, cur finitis iſta falſa manere vocabula? vocatur diuerſorium, vbi nec comedendi, nec dormiendi datur facultas.

Poſt

Poſt diſceptationem longam, reuoluti ad preces blandiores, ſummis conatibus vix impetrauimus ſpeciem quandam lecti.

POSTRIDIE ſubducta ratione didici, cur Tagum ſcriptores appellarent auriferum . tanti conſtitit vmbra cœnæ cum lecto, quanti magnificum apud Brabantinos epulum : quare ſi quis auri venas, aut arenam auream hactenus in flumine non repererit, mihi credat dictum eſſe Auriferum , quòd aurum abſtulerit è noſtris loculis. nam & hoc poëticum eſt, ſimplex vſurpari pro compoſito, vt apud Iuuenalem: Ponamus nimios gemitus , hoc eſt, deponamus. Omitto reliqua, quo properemus Conimbricam, vbi Rex nouam tum moliebatur Academiam. Hic quid opus eſt multis laudibus, quando ſeſe ipſa indies magis ac magis commendat? Erant vacationes, & in cæteris profeſsionibus feriæ. nec iudicium ferre poſſum niſi de auditorio Græco, quòd me nouo miraculo reddidit attonitum. Vincentius Fabricius enarrabat Homerum, non vt Græca verteret Latinè, ſed quaſi ageret in ipſis Athenis, id quod nuſquam hactenus videram: & nihilò ſegnius diſcipuli præceptorem imitabantur, fermè in totum vſi & ipſi ſermone Græcanico. E quibus auſpiciis ſi fas eſt diuinare , florentiſsima erit Conimbrica linguarum ſtudiis. De Theologia ſpeciem præbuerunt tres monachi, qui cùm paucis menſibus in ea palæſtra fuiſſent verſati , de themate propoſito diſputauerunt argutiſsimè, & reipſa teſtati ſunt, quàm eruditis viris illic darent operam. Quòd ſi honos alit artes, quid manet Conimbricam , niſi vt ipſam aliquando vincat Salmanticam? neque enim Rex parcit vllis ſumptibus, & tam opimis prouentibus donat Cathedras, vt in vniuerſa Hiſpania non ſit Profeſſoribus fructus vberior.

INDE venimus Braccaram, vbi & ipſe meus Princeps Gymnaſium condidit, capeſſendis literis Latinis. communicatoque mecum negotio, in eam ſententiam

conſen-

conſenſimus vt quæreretur qui in Scholis non vteretur ſermone vernaculo, vnde per Hiſpaniam non tam religioſe literatiſsimi etiam abſtinent, quemadmodum aut apud nos aut in Germania. Et volebat non triuialem quendam inſtituere ludum, ſed in quo pulcherrimè diſcerent Latinè. Occurrebat Ioannes Vaſæus, par huic futurus prouinciæ, ad quem ſtatim profectus Salmanticam, vbi Græcas Latinasque docebat literas, oblatis conditionibus & cunctantem exhortatus, voti compos in Luſitaniam adduxi, vt eum ſiſterem Principi. Habito congreſſu, Princeps Vlyſsiponem diſcedit, Vaſæus Salmanticam componendis negotiis, quæ illic recèns ducta vxore inchoauerat. Ego interim hæſi Braccaræ, ponendis nouæ ſcholæ fundamentis, dum adueniret Vaſæus, vnum atque alterum ſecum adducturus, qui partem laboris ſuſciperent.

EO anno miſit ad me Reſcius meus literas, ſparſum fuiſſe rumorem Louanij, Clenardum factum Cardinálem, & ita ſeriò prædicatum in Collegio Theologorum, quòd Præſes epiſtolam accepiſſet ab Antuerpia, quæ rem aſſereret. Cæterùm Latomum ſuſpendiſſe iudicium, & ſtetiſſe ancipitem, nec fidem habere, donec à me factus eſſet certior: propterea quòd pridem fama mendax me creaſſet Epiſcopum. Quin & aliud in vulgus manauerat, me tot onuſtum eſſe ſacerdotiis, vt quamplurima contemnerem. quare Dieſtenſis quidam olfacta præda contulit ſe Braccaram, ratus ſe aliquid ablaturum ex iſtis contemptis ſacerdotiis. Ego etſi riderem ſermones hominum, non poteram tamen effugere, quin tot diuitiarum particulam largirer fruſtrato conterraneo. Iſtiuſmodi in populo temerè iactari non ſolent, nec vllus tam eſt vanus rumor, quin aliquo naſcatur auctore. Itaque libet vobis exponere, cur ſuſpicer me creatum Cardinalem, & adeò multis cumulatum id temporis ſacerdotiis, vt etiam Beginas mihi ademptas intelligerem, quas cùm tot

annos

annos poſitas haberem in iudicio controuerſas, inaudita ratione ſic ſunt commiſſæ tribus arbitris, vt eas vniuerſas mihi abiudicarent. Credò quòd parum notus eſſet Cicero, ad arbitrium inquiens, hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum quantum poſtulamus, conſequamur.

SI vnquam fuit Braccara vero nomine Auguſta, certè cùm illic agerem, dici poterat Auguſtiſsima. Et ne Roma quidem tot vidit Epiſcopos, Cardinales, Patriarchas, cæteraſque dignitates, quot creabantur illic exiguo tempore. Ad hæc Senatores, Conſules, & reliqui Magiſtratus, paſsim per vicos ambulabant, & quandoque in foro emebant lactucas: cum quibus omnibus quando quotidie verſabar, quid mirum ſi fortè & ipſe afflatus fuerim aura benigna, & titulo Cardinalitio? Aenigmata ſcribo, præſtabo Oedipum. Erant Braccaræ circiter triginta, qui darent operam literis, quorum magnam habere curam non operæprecium duxi, propterea quòd ſcholas nouas ab ipſis fundamentis volebam inchoare. Quare velut periculum facturus de ingenio puerorum, ciuium aliquot liberos publico loco docere cœpi, tam expertes linguæ Latinæ, vt ante eum diem, ne literam quidem audiſſent. Et prima ſtatim hora, cùm res iam vulgata fuiſſet, concurrebant complurimi, commoti, vt fit, nouitate, adeò vt creſcente indies multitudine, locus auditores non caperet. Nulla enim ætas in nouo Gymnaſio deſiderabatur, & omne genus mortalium confluebat. non deerant qui vix annum quintum agerent, non ſacerdotes, non ſerui etiam Aethiopes, & quidem natu grandes. quin & parentes vnà ludum frequentabant cum filiis, nec minus præceptori morem gerebant, quàm obedientes diſcipuli.

CVMQVE ſolus verſarer in tam diſparibus ingeniis, & apud rudes ne verbulum quidem ſonarem, niſi Latinum, ſic ſenſim aſsiduo vſu proceſsit negotium, vt intra paucos menſes, & loquentem ſatis omnes intel-

ligerent,

ligerent, & minimi etiam vtcunque Latine balbutirent, cùm vix nossent Alphabetum. Neque enim tenellam ætatem eò trahebam, quòd aliquid haberet molestiæ, nec per antiphrasim interpretabar ludum, sed reuera ludebam in scholis. Erant mihi seruuli tres, quos suprà nominaui, non sanè periti Grammaticæ, verùm domestica consuetudine tantùm consecuti, vt me perciperent, quicquid dicerem, & contrà Latinè responderent, licèt identidem peccantes in Priscianũ. Hos in ludum productos, dialogos agere iussi, spectantibus discipulis, & cum eis multis de rebus sermonem miscebam, attentissimo auditorio, adeò miraculi loco fuit, quòd Aethiopes loquerentur Latinè. Heus Dento, inquam, salta: mox vnum atque alterum edebat saltum, ridentibus spectatoribus. Tu Nigrine, repe nobis per pauimentum: sine mora quadrupedem agebat, magis etiam in cachinnos solutis quotquot aderant. Carbo iussus currere, cursum statim expediebat. Sic & alia multa non tam voce docebam, quàm gestu; vt per iocum vocabula puerorum animos subirent. Minimaque cura fuit, vt initio canones obiicerem Grammaticos, rem non satis amœnam. sed omnem adhibebam artem, vt quemadmodum mercatores in variis regionibus vsu perdiscunt idiomata; sic in tanta frequentia, omnibus in locis streperent voces Latinæ. Quin & illud piaculum erat, primis diebus quippiam scribere, sed oculis in præceptorem intentis, aures assuescebant audiendis vocibus. Et siquando sese offerret vel sententia, vel adagium pauculis verbis comprehensum, per discipulos in orbem ibat, & tota schola iactabatur, velut manus manum fricat, me interim gestu rem declarante. Nam & hoc decretum erat, non solenni pompa docere, & aliquid meditatum afferre; sed quicquid obiter ac primùm occurrebat, de eo fabulabar. Si quem conspicerem insigni naso, ridendo & contrectando naso, fungebar docentis officio, & obiter mungebat Dento nares.

Inde

Inde iuſsi adferri candelam, & tu Nigrine, inquam, munge candelam: quam ſi imprudens extingueret, irato vultu obiurgantis ſpeciem præbebam, & ſimul videbant quid eſſet candelam accendere, quid extinguere: Hinc labimur ad ſeuum, & candelas ſeuaceas, inde ad cereum, ceram, ellychnium, & cætera quæ oculis arbitrari poterant, vt vtar verbo Gelliano. Dum ſic nugamur, & quamuis ſermocinandi anſam temerè raperemus, ſæpenumerò ſine omni tædio, tres horæ nobis imprudentibus abibant cum ſumma puerorum voluptate.

QVIBVS rebus factum eſt, vt à parentibus pueri contineri non poſſent, quin ſummo diluculo pergerent ad ſcholas, velut geſtientes audire præceptorem: adeò vt horam quandoq; vnam anteuerterēt, & noctu nihil aliud ſomniarēt, quàm Comœdias noſtras ſcholaſticas. Ipſe certè vehementer cum pleriſque ſum admiratus, illorum iugem conſtantiam, qui acerrimè quandoque caſtigati, tamen æmulatione quadam mutua ſic perpetuò frequentabant ludum, vt abeſſe mortem ducerent. Videte quæſo rem nouam. Cùm inſtaret Quadrageſima, quo tempore vix tandem ſub exitum plerique Confeſſarios adeunt, edictum tuli, neminem admittendum in ſcholam, qui non ſtatim peccatorum peregiſſet confeſsionem: eique rei deſtinauimus dieculam, & à docendo feriati ſumus. Protinus totis templis concurſum eſt quærendis ſacerdotibus, adeò metuebant ne priuarentur nouæ ſcholæ delitiis. Poſtridie, imò verò eo ipſo die, puelli complures, vbicunque me conſpicerent, velut gratulabundi veniebant, & vt quiſque occurriſſet, Ego, inquit, domine ſum confeſſus, tam redditi erant alacres, tamque patientes, vt omne tempus ſub oculos Præceptoris cuperent conſumere. Erant autem digeſti in certas tribus, quas pro aduentantium numero pluribus paucioribuſque capitibus cumulabamus. Et ſuum quiſq; in propria tribu, tum nomen, tum locum obtinebat,

vt in singulis tribunus minimò negotiò notaret stationis desertores, qui nisi sontica causa nulli fermè cernebantur. Grandioribus addebam paruulos, & alium alij modò discipulum, modò designabam præceptorem, vt hinc vicissim disceret, illum inuicem doceret. Ac primò omnium per tribus dispersa sunt ista.

Heus puer,
Quid est rei?
Quo properas?
Ad ludum literarium.
Mane paulisper.
Non possum.
Quid ita?
Quia iam præteriit hora.
Quid tum postea?
Si moratus fuero, vapulabo.
Ain verò?
Sic profectò.
Vtram metuis, ferulam an scuticam?
Vtraque præceptor vtitur.
Sed ausculta paucis.
Non licet inquam. Vale.

HVNC Dialogum sic perstrepebant in omnibus vicis, vt cerdones, & muliones passim in vrbe cantarent: Heus puer; & puellæ quoque in ædibus eum agerent, tam nobilitatus erat in vniuersa Braccara. Mox alium effudimus, non spectantes quàm essemus elegantes, sed quid captus puerorum ferret. deinde alium atq; alium, semper tractantes argumentum non alienum ab eorum ingeniis.

ET quia paulatim iam sermo Latinus reddebatur familiaris, pedetentim instillabam gustum Grammaticæ, nominumque Declinationes maiusculis characteribus in parietibus suspendebam, quas tribules in libellos referebant, qui nossent scribere. vicinisque operam dabant tam in describendo, quàm tradenda scribendi ratione. nam & hæc prouincia Tribunis data

erat,vt peritus, rudium curam gereret. Interea verò in auditorio creſcebat lingua, quòd viritim penſum præſcriptum redderent, nunc ſententiam, nunc adagium, nunc inſigne aliquod infigentes memoriæ vocabulum. Quæ omnia ſic moderabar, vt cum tota ſchola nullus compareret codex, typis excuſus (id enim vetitum erat,) tamen in tanta frequentia, binas quiſque quotidie nouas lucriſaceret ſibi & peculiares lectiunculas, & ſimul auribus hauriret quod pertineret ad cæteros. Dicam planius: Nemo commune penſum habebat cum altero, ſed ſuum quiſque perſoluebat, & partibus ſuis defunctus, audiebat quid ſonaret in auditorio. idque ad hunc modum. Surgant Tribuni, qui dum ordine ſuum quiſque munus peragerent, cęteri tribules auſcultabant, & ſummo ſilentio vel inuiti multa reponebant in animo.

POST hos conſurgebat *

PLVRA *tametſi cùm Salmanticæ tum Granatæ diligentiſſimè perquiſierim, inuenire non potui: quo fit vt hanc epiſtolam Clenardum morte forſitan præuentum non abſoluiſſe exiſtimem. Quotquot autem in has epiſtolas incident, rogatos velim, vt ſi reliqua nanciſcantur, & alias item ipſius Clenardi epiſtolas, eas ne lectori inuideant, ſed in publicum prodire ſinant.*

SVM-

SVMMA PRIVILEGIORVM.

REGIS *priuilegio cautum est, ne quis* Nicolai Clenardi epistolarum libros duos *citra voluntatem Christophori Plantini imprimat, aut alicubi impressos importet, venaléſve habeat, à die impreßionis absolutæ intra octennium. Qui secùs faxit, tum confiscationis librorum ipsorum, tum verò quinquaginta florenorũ pœna, fisco Regio exoluenda, mulctabitur: vt latiùs patet in ipsis diplomatis: quorum alterũ datum est Bruxellæ in Consilio priuato,* XII. *Nouembris. Anno* M. D. LXV.

Signat.

de VVitte.

Alterum verò in Consilio Brabantiæ eodem anno & mense.

Signat.

Mesdach.

Maximilianvs II. Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, &c. Rex, & Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ. Comes Tyrolis &c. Recognoscimus & notum facimus tenore pręsentium vniuersis. inter alia maiorum nostrorum consilia, illud haud postremum fuisse comperimus, vt ad Imperij Romani decus et dignitatem plurimum facere arbitrarentur, non minus rem litterariam, quàm militarem disciplinam propagare: quòd litterarum monumentis quidquid fortiter & præclarè gestum esset, illustrari cognoscerent, & æternæ memorię consecratum ad posteros ita transmitti, vt tam exteris quàm domesticis populis, exemplo ad virtutem esse posset: quòdque optimarum artium studia, & quidquid ad humanæ vitæ cultū atq; vtilitatem in quaque arte fuisset excogitatum, litteris & contineri & conseruari optimè didicissent. Illorum nos laudatis vestigijs insistere summo studio cupientes, dignum imprimis duximus prudenter & accuratè cauere, vt si quis ad eam rem quidquam vel industria vel laboribus & impensis suis contulerit, ne huic fraudi beneficium publicum sit.

Cvm itaque sincerè nobis dilectus Christophorus Plantinus ciuis & Typographus Antuerpiensis nobis humiliter exponi curarit; se veteres

non

nõnullos auctores, vel nunquam antea visos & raros, vel emendatiores, aliaque opera magni momenti, imprimis verò Biblia Hebraica, Nouum Testamentum, Eunapium de vitis Philosophorum, Illustrium de poëtis, Nonium Marcellum, Petronium Arbitrum, omnes veteres Poëtas correctos vel commentarijs illustratos, Emblemata Sambuci, Dictionarium Hebraicum, Dictionarium Græcum, & si quæ huius generis alia vel antea non edita vel emendatiora, locupletiora, auctiora, & illustriora facta sunt, quacunque in lingua imprimere constituisse: vereri autem, ne, quod sæpenumero vsu venire consueuerit, alij nonnulli, qui alieno labore & industria partis, fucorum more inhiare, & frui soleant, ea quæ ille magnis sumptibus & impẽsis collegerit, & typis procuderit, mox ad suum compendium, minore sumptu & labore imitentur, atque effingant, illique labor omnis sumptus & impensæ, omne quoque lucrum & laboris præmium, atq; adeo (quod dici solet) oleum & opera pereat: ideoque suppliciter à nobis petierit, vt contra huiusmodi improbos quorundam lucri cupidorum conatus, fraudem & iniurias, Priuilegij nostri prærogatiua munire illum dignaremur.

Nos huiusmodi illius precibus æquis & iustis benignè annuentes & prædicti Christophori Plantini honestos conatus promouere, atque indemnitati illius quàm maximè consultum cupientes, hoc publico edicto cautum volumus, & sancimus, ne quis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacumque sacri Romani Imperij & ditionis nostræ fines patent, deinceps prædicta,

aut alia quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab alijs quidem impressa, nouis autem deinceps scholijs, annotationibus, aut commentarijs aucta & illustrata præfatus Plantinus primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusq; operis aut voluminis editione vllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab alijs intra nostros & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco nostro Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum, sicut præmittitur, ad imitationem impressorũ amissionem, quos idem Plantinus vbicumque locorum nactus fuerit, per se, vel suos adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vendicare, inque suam potestatem redigere potest. In cuius rei fidem præsenti edicto manu nostra subscripsimus et sigillum nostrum apponi iussimus. Datum in ciuitate nostra Vienna Austrię, die vigesima prima mensis Februarij, Anno Domini Millesimo quingẽtesimo sexagesimo quinto: Regnorum nostrorum, Romani, tertio: Hungarici, secundo: Bohemici verò decimo septimo.

Maximilianus

Ad mandatum sacræ Cæs.
M. proprium.
Haller.